



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Sectio Quarta. De Causalitate & Effectu Sacramentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

SECTIO QVARTA.

De Causalitate & Effectu Sacramentorum.

**P**lacet hanc sectionem incipere à controversia, quæ est cum hæreticis nostri ævi, qui omnes in hoc conveniunt, quod Sacramentis nostris denegent efficaciam gratiæ; non quidem simpliciter, admittunt quippe hominem sanctificari per usum Sacramentorum, & quidem sine merito, vel conferentis, vel suscipientis; sed volunt hoc fieri, non virtute ipsorum Sacramentorum, verùm propter fidem specialem, quâ quisque tenetur sibi persuadere, quod propter Christi justitiam non imputentur sibi peccata: ipsa verò Sacramenta ad hoc tantùm conducere, ut per verbum concionatorum & visibilibus rerum propositionem excietur in hominibus illa fides specialis, per quam sicut per extensionem manûs apprehendatur Christi justitia, & nobis applicetur.

Quod ut facilius defendant, & Catholicos impugnent, affingunt illis duo, quæ nunquam excogitavit aliquis. Primum, quod Catholicis asserentes Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, velint eo modo loquendi significare, ipsa esse primariam causam gratiæ, Deumque eam non causare; sed Sacramentis suas vices committere, ut videre est apud Calvinum lib. 4. Instit. cap. 4. §. 17. Secundum, quod velint Sacramenta conferre gratiam secundum se præcisè, ita quod fides, pœnitentia ac devotio excludantur. Quæ sunt manifestè falsa: siquidem omnes fatentur cum Concil. Trident. sess. 6 cap. 7. Deum esse causam principalem effectivam gratiæ, Christum meritoriam, Sacramenta verò instrumentariam: Huius (inquit) iustificatio nis cause sunt; finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat. .... meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus. .... instrumentalis item, Sacramentum Baptismi.

Et verò inveniri poterit Theologus tam rudis & proflus inscius, qui nesciat idem Concilium cap. 6. ejusdem sess. enumerare fidem, spem, charitatem, pœnitentiam tanquam dispositiones prævias ad justificationem adulti? ut proinde longè à

corde & ore cujusque Doctoris Catholici semper fuerit de hoc ipso vel leviter hæsitare. Bellè quidam dixit: *Veritatis argumentum est mendacijs impugnari.*

Neque est unde merito hanc vocem ex opere operato, hæretici derideant: si enim teste Horatio de Arte Poëtica, & Cicerone in Tullulianis, *usus multa vocabula adinvenit & inventa antiquavit*, certè usus plus quàm quadringentorum annorum merito pro hac voce præscripsit, eamque alioquin parum latinam emollivit: reperimus namque Innocentium III. lib. 3. de Mysterio Missæ eà fuisse usum cap. 5. ibi: *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicina corrumpit. Quamvis igitur opus operans aliquod sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum: quem deinceps secuti sunt omnes Scholastici, & opportunè; quia ut in simili dixit S. Aug. in Psalm. 138. Melius est ut reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi.*

Porro hæc vox aptissima est ad explicandam efficaciam Sacramentorum; pro cuius intellectu Nota duplicis generis esse media, quibus homo divinam gratiam potest consequi; quædam conferunt gratiam citra omne meritum operantis ex vi solius divinæ institutionis: quædam verò conferunt gratiam propter meritum de condigno, vel de congruo ipsius operantis; seu potius sunt opera bona, quæ licet gratiam non contineant, tamen illam de condigno vel congruo à Deo merentur, & ideo dicuntur conferre gratiam ex opere operantis, id est, præcisè intuitu operis meritorij: quidquid autem gratiæ provenit homini non ex merito, sed ex sola divina virtute seu institutione per modum (ut sic dicam) causæ naturalis sive physicæ, sive moralis (quod est impertinens) dicitur conferri ex opere operato, quasi diceret, ex opere applicato, hoc est, intuitu ipsius operis applicati, præcindo ab eo quod sit meritorium vel non meritorium: & ideo opus illud dicitur gratiam continere, quam videlicet communicat ijs, quibus applicatur. His prænotatis pro intelligentia controversiæ, subijcio doctrinam Catholicam.

H CON-

1. Hæretici efficaciam gratiæ Sacramentis denegant.

Quæ falsè de hoc Catholicis affingunt, dissolvuntur.

Calvinus.

Trident.

2. Immetitè vocem: ex opere operato, hæretici irident.

Innoc. III.

S. August.

Media consequendi gratiam alia sunt ex opere operantis, alia ex opere operato.

## CONCLUSIO I.

**Omnia Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam, idque ex opere operato.**

3.  
Est de fide  
Sacramenta  
novæ Legis  
conferre  
gratiam.  
Probat ex  
Concilio  
Florent.  
Trident.

V Traque pars est de fide. Prima quidem definita in Concil. Florent. his verbis: *Hæc verò nostra (Sacramenta) & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Consonat Concilium Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum sint accepta per fidem gratia &c. anathema sit.* Et can. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divini promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Constant.

Milevit.

Eadem veritas definitur quoad Baptismum in Symbolo Concilij Constantinopolitani, ibi: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Ad quod alludens Concil. Milevitanum can. 2. & habetur cap. Placuit 154. de Consec. dist. 4. de infantibus, ait: *deo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundeatur, quod generatione contraxerunt.*

Ex Scriptura.  
Joan. 3.  
Actorum 2.

ad Ephes. 5.

1. Petri 3.

Et verò quid aliud significant hæc verba Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Actorum 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Ad Ephes. 5. versu 26. *Mundans (Ecclesiam) lavacro aqua in verbo vite.* 1. Petri 3. v. 20. & 21. *Omnia anima salvæ facta sunt per aquam.* Quod & vos nunc similis forma salvos facit Baptisma: non carnis depositio sordium (id est, non tantum exterius, sicut baptismata & purificationes Judæorum) sed conscientia bona interrogatio in Deum (id est, interiorius mundando conscientiam nostram, ut dum Deus eam interrogat, vel nos coram Deo eam examinamus, reperiamus nullius peccati conscientiam) per resurrectionem Iesu Christi, scilicet factam in nobis baptizatis; quia ut habetur ad Rom. 6. v. 4. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortem per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Hunc esse sensum illius loci, patet tum ex contextu, tum ex proprietate verborum; & non eum, quem ex

ad Roman. 6.

illo contra nos prætendunt hæretici: & ita fit, quòd idem nobis sit odor vitæ ad vitam, quod ipsis est odor mortis in mortem. Eandem vim Scriptura tribuit alijs Sacramentis, ut inferius proprijs locis luculenter edissero.

Sanctorum Patrum loca ad idem confirmandum fusè citat Bellar. lib. 2. de Sacramentis cap. 6. & 7. & tam aperta sunt & obvia, ut ijs in particulari recensendis superfluum fuerit immorari. Generaliter de omnibus Sacramentis id indicant, quando aiunt in veteribus Sacramentis solum fuisse umbram sanctitatis; in nostris autem veritatem. Item, illa Sacramenta solum ostendisse seu promississe salutem, nostra verò etiam continere & dare salutem.

Dubitas de veritate illius distinctionis? Consule Concil. Florent. supra: *Nova (inquit) Legis septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus &c. quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi; dandam figurabant. Nonne Scriptura frequenter inculcat veteres caeremonias fuisse infirma & egena elementa, justitias carnis, quæ non valent mundare conscientias &c? E contra verò (ut jam jam vidimus) docet per Baptismum nos regenerari, mundari, salvos fieri, remitti peccata; quæ non possunt fieri sine infusione gratiæ, ut traditur in materia de Gratia.*

Ex quibus etiam manifestè probatur secunda pars conclusionis, quæ in terminis definitur à Concil. Trident. sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit &c. Probat (inquam) quia cum certum sit caeremonias veteris Legis contulisse gratiam ex opere operantis non minus, quam ceteri actus boni procedentes ex fide & charitate (teste Doctore Subtili 4. dist. 1. q. 6. n. 10. ibi: Et de istis caeremonijs legis veteris concedo, quòd non causabant gratiam tanquam signa efficacia respectu gratiæ, eo modo, quo expositum est in definitione Sacramenti: sed tamen in illis conferebatur gratia per modum meriti, licet aliqui negare videantur, quòd in talibus ex charitate factis conferretur gratia. Hoc enim videtur nimis durum, scilicet quòd aliquis ex charitate & obedientia sit servans Dei præceptum, & non mereatur) sequeretur, quòd fuissent æqualis efficaciæ cum nostris: immò aliquando majoris, quia potuissent procedere ex perfectiori charitate & obedientia: quod licet libenter concedant hæretici; est tamen apertè contra Scripturas & Patres, ut ex dictis patet.*

Ex SS. Patribus.  
Bellarm.

Ex differentia inter Sacramenta nostra, & Legis veteris.

4.  
Florent.

5.  
Ex qua & probatur causalitas gratiæ ex opere operato.  
Trident.

Scotus.

Et in-

Sec. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 1. 59

Que efficacia etiam stabilitur ex Baptismate Joannis.

Matth. 3. 11. ubi dicit Joannes: Ego quidem baptizo vos in aqua: penitentiam, id est, ad excitandam penitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, scilicet in danda gratia, & ad baptizandum. Unde subdit: Ille vos baptizabit in spiritu Sancto. Secundo: quia Act. 19. Apostolus eos, qui erant baptizati Baptismo Joannis, jubet baptizari Baptismo Christi, quod utriusque impie fuisset factum, si hic non fuisset præstantior illo: in hoc Anabaptista nequidem reiterant Baptismum, quem putant fuisse legitimum.

Tridem. Hinc appositè Concil. Trident. sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere: *si quis dixerit, ea ipsa nova Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia ceremonie sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit.* Et can. 1. de Baptismo: *si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Leo X. Igitur jure meritissimo Leo X. damnavit hunc articulum Lutheri: *Hæretica est sententia, Sacramenta novæ Legis conferre gratiam illis, qui non ponunt obicem, id est, ex opere operato.* Licet enim illa vox ex opere operato non reperitur in Scriptura aut alijs Concilij præter Tridentinum, res ipsa tamen invenitur.

6. Ad hæc quid A Catholicis respondeant, diligenter attende. Primò cum Lutero in lib. contra Cochlaum: Dicta Patrum (inquunt) verba sunt hominum sibi ipsis sæpè pugnantium, & pleraque humano sensu ex Scriptura docentium. Secundo secuti Calvinum lib. 4. instit. cap. 14. §. ultimo Patres insimulant hyperbolicæ locutionis.

Sed quid impudentius hoc responso potest excogitari? si enim in Patribus reperiant, quod opinioni suæ vel minimum favere videatur, amplectuntur ambabus manibus, & Catholicis objiciunt & inculcant; si verò quid occurat contrarium, vel contemnunt, vel detorto aliquo responso eludunt. Certè est Patres in quibusdam dogmatibus inter se quandoque pugnent, in ijs nimirum, quæ non sunt articuli fidei; in his tamen summè consentiunt, & præsertim in præsentia materia: quotquot enim attigerunt eam, tribuunt Sacramentis efficaciam, & ne unus quidem hoc negat, aut id asserit fieri mediante fide. Mirum autem esset omnes unanimiter & ubique hyperbolicè loqui

in materia gravissima, & ad præcipua fidei capita pertinente, & nullibi contrarium indicare, & sic fuisse occasionem, cur Ecclesia huc usque errasset.

Enimverò non hoc solum asseruerunt coram populo concionando, sed etiam in libris suis dogmaticis. Non mihi (inquit S. Aug. lib. contra mendacium ad Consentium cap. 2.) *persuadetur eos (hereticos) de latebris suis nostris esse mendacis eruendos. Vt quid enim eos tantâ curâ vestigare, atque indagare conamur, nisi ut captos, in apertumq; productos, aut etiam ipsos veritatem doceamus aut certè veritate convictos nocere alijs non sinamus?* Ad hoc ergo ut eorum mendacium delectatur sive caveatur; Dei autem veritas augeatur. *Quomodo igitur mendacia mendacio rectè potero prosequi?*

Tertio non minori impudentia contra unanimum consensum PP. & DD. eodem Hæresiarchâ antesignano, per aquam Joannis intelligunt non Baptismum juxta proprietatem verborum, sed metaphoricè Spiritum Sanctum: sicut & Act. 19. per Baptismum Christi, impositionem manuum: quasi verò non apertissimè ista duo distinguerentur in textu v. 5. & 6. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu: & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

Inceptè etiam respondent ad locum ex Matth. 3. Joannem ita loqui, quia ipse solum adhibebat exterius abluionem, Christus verò sive Deus inter ùs, etiam ijs, quos Joannes baptizabat. Enimverò ibi non tam comparantur persona Joannis & Christi, quàm eorum Baptismata, ut patet. Deindè si vera esset hæc responsio, debuisset dicere Joannes: *Ille vos baptizat, non: Ille vos baptizabit; neque debuissent rebaptizari baptizati à Joanne, ut factum fuisse Act. 19. jam dixi.*

Perbellè ad propositum D. Aug. lib. 5. de Baptismo cap. 10. *Quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua penitentia in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa verò in Domini Baptismo id fieret. .... tamen ne quisque contendant etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata (scilicet ex opere operantis) sed aliquam ampliorem sanctificationem per Baptisma Christi esse collatam (ex opere operato) non ago pugnaciter.*

Porro quòd aliqui somniant Patres & Scripturas tribuere vim Sacramentis, sed mediante fide illâ speciali, neque consensum est veritati, neque menti eorum, quia præterquàm quòd in tractatu de Justificatione ostenditur illam fidem specialem hæreticorum meram esse perfidiam & vanam

S. Aug. 7.

Et impudè aliquorum locorum Scripturæ explicatio.

S. Aug. 8.

Mediante fide speciali vim tribuit Sacramentis, neque menti SS. Patrum, consensus est.

Varia ex illo deducuntur absurda.

presumptionem, hic addi potest argumentum deducens ad absurdum: nam si ratio signi excitantem fidem constituit rationem Sacramenti, habebimus infinita Sacramenta, ut postillas hereticorum, imagines, conaciones, bona opera seu exempla aliorum.

Sequitur item Primò, parvulos non justificari in Baptismo; ubi enim revelatum est eos tunc specialem illam fidem habere, & ratione per miraculum uti? Secundò, vetera Sacramenta habuisse eandem vim cum nostris, quod est manifestè contra mentem Scripturæ & Patrum. Quàmvis enim gratia fidei data sit intuitu meritorum Christi; ipsa tamen signa externa, quæ ad fidem eliciendam excitant, æqualis sunt efficaciac in novo & in veteri Testamento, si utraque solùm contulerint gratiam ex opere operantis, scilicet mediante fide.

Tertiò, sequitur non requiri certum ministrum, aut intentionem. Quartò non esse valida Sacramenta nisi linguâ vulgari proferantur. Quintò, eodem modo prodesset audita, lecta, meditata atque exercitata, & æquè ijs qui adsunt, ac illis, qui ea suscipiunt.

Denique si Sacramenta sunt sigilla justitiæ jam ante per fidem acceptæ, ergo jam supponunt fidem & justitiam in suscipiente; ergo non rectè dicuntur eam causare excitando fidem, quæ justitia apprehendatur. Sicuti si quis diceret motum animale, qui est signum vitæ acquisitæ, esse causam ejusdem acquirendæ. Nec obstat quòd respiratio sit simul signum vitæ & causa ejus; quippe non est causa acquirendæ, sed conservandæ vitæ: Sacramenta autem vel causant vitam, conferendo primam gratiam sanctificantem, vel certè conservant, efficiendo ejus augmentum.

Similia multa facillè occurrunt consideranti, de quibus meritò dicere possumus cum D. Aug. lib. 5. contra Julian. cap. 4. *Quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult? Et quoniam nihil imperitis, nihil cæcis audacius est, quia nihil vident: aperi heretice oculos tuos, & cerne quàm debilia sint causa tuæ fundamenta. Quæ verò ista?*

Primum sumitur ex illis locis Scripturæ, in quibus justificatio tribuitur fidei. Respondeo unico verbo (nam singula in particulari explicare non est hujus loci. Vide Bellarm. lib. 1. de Justificatione)

nos quoque fidei tribuere justificationem cum Trident. sess. 6. cap. 8. ubi explicans locum Apostoli Roman. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit*

Deum propitiationem per fidem in sanguine ipsius &c. sic inquit: *Et verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholica consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, &c.*

Sed nunquid fundamentum, domus est? radix, arbor? Quis credat? Sic neque sola fides ad perfectum adducit, id est, justificat; bene, si ad eam spes accedat & charitas: In ipsa (inquit Trident. supra cap. 7.) *justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Ut autem omnes scirent, non solùm quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant, hos Canones subjungit. Primus (alias 9.) *Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse cum sua voluntatis motu preparari atque disponi, anathema sit. Secundus (alias 12.) *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divine misericordie peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur; anathema sit.***

Libenter igitur admittimus fidem justificare, at non illam specialem hereticorum (de qua nulla fit mentio in Scriptura) aut etiam veram Catholicorum cum exclusione Sacramentorum, bonorum operum, aut meritorum Christi: nusquam enim in sacris Litteris reperitur illa vox sola, cum de fide justificante agitur. Econtra verò legitur expressum verbum, ubi habetur negatio ejus vocis aut synonymæ. Videtur (inquit Jac. cap. 2. v. 24.) *quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?*

Edidit quidem (teste Bellarm. supra cap. 16.) Mart. Lutherus Biblia Germanica cum voce sola ad Rom. 3. sed citò fallacia deprehensa fuit, inspectis codicibus Græcis & Latinis, & qui circumferantur omnibus. Neque ipse de hac re admonitus negare potuit se additam illam vocem, sed respondit pro solita sua modestia: *sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

Quando ergo dicit Apostolus Hebr. 10. v. 38. *Iustus autem meus ex fide vivit; vel intelligitur de fide, quæ per charitatem operatur; vel (ut ex antecedentibus & consequentibus patet) intentio solùm D. Pauli est*

Neque attribuenda est fidei specialiter hereticorum.

10. Explicatio Scripturæ ad Hebr. 10. est

**Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 1. 61**

est docere, quod iustus roboretur per fidem ad toleranda mala huius vitæ, eo quod per eam apprehendat futuram mercedem.

**Marci ultimi** Rogas, cur Christus Mar. ultimæ post hæc verba: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, dixerit: *Qui vero non crediderit, condemnabitur*; & non dixerit: *Qui non fuerit baptizatus?* Respondeo, non quia sola fides sufficiat ad salutem, sed quia requiritur in re fides actualis vel habitualis; quippe ejus non datur votum, cum sit prima virtus supernaturalis; porro sufficit Baptismus in voto juxta Trident. sess. 6. cap. 4. ibi: *Quæ quidem translatio (à statu peccati in statum gratiæ) post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest*. Et quod quæso est illud votum, nisi fides, quæ per charitatem Dei super omnia operatur? *Qui enim non diligit manet in morte*, inquit discipulus quem diligebat Jesus. Epistolæ primæ cap. 3. v. 14. & D. Aug. ser. 22. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo persicitur*.

**Trident.** Quæris rursus, quid intelligat Apostolus quando ad Ephes. 5. dicit: *Mundans eam (Ecclesiam) lavacro aquæ in verbo vitæ?* Respondeo ita loqui, eo quod aqua sola non prodesset sine forma verborum, quæ vocatur *verbum vitæ*, quia cum ablutione confert vitam animæ seu gratiam: aut si quis contendat per verbum vitæ non intelligi verbum ceremoniale (ut ita dicam) sed doctrinale seu prædicationem Evangelij; etiam verum est, quod Deus suam Ecclesiam mundet in Baptismo per *verbum vitæ*; siquidem adulti non mundantur per Baptismum, nisi crediderint prædicationi Evangelij; saltem ex eo loco nihil habetur pro speciali fide hereticorum. Ecce eventum est primum fundamentum.

**Et ad Ephes. 5.** Secundum est auctoritas SS. Patrum. Sed plurima loca eorum, quæ communiter allegantur, non faciunt ad rem: nonnulla verò docent Sacramenta non esse causas physicas gratiæ, ut sequenti conclusione videbimus. Aliqua etiam solum volunt Deum interius mundare, scilicet tanquam causam principalem, non autem quod minister aut Sacramentum non mundent instrumentaliter. Talis est locus D. Hieronymi super illa verba Marth. 3. *Ego baptizo in aqua, ubi sic ait: Ex quo dicimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum, quo sordes abluuntur*.

**11.** Variæ loca SS. Patrum ab hereticis objecta non efficiunt Conclusioni. **Videlicet Hieronymi.** Pari ratione intelligi potest, quod scribit Ambrosius Epistolâ 34 ad Demetria-

dem: *Aliud est quod visibiliter agitur, aliud quod invisibiliter celebratur; nec idem est in Sacramento forma, quod virtus, cum forma humani ministerij adhibeatur obsequio; virtus autem per divini operis præstetur effectum*.

Solum videtur aliquam difficultatem facere locus D. Aug. tract. 80. in Joannem: *Vnde tanta virtus aquæ &c. vide ejus explicationem sect. præced. conclusionè secundâ, objectionè secundâ*. Porro quod docet idem Sanctus Doctor lib 83. questionum quæst. 3. Deum quædam facere per se ipsum, ut illuminare animas; intellige Primò de visione & fruitione beatifica. Verba textus sunt: *Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium & impium esse, quis non intelligat? sed meritorum & personarum iustissimus distributor faciens per se ipsum quæ illo solo digna sunt, eiq. soli conveniunt: sicut est illuminare animas, & se ipsum eis a perfrendum præbendo, sapientes beatiss. præstare*.

Secundò videtur Aug. solum velle, Deum quidem semper decipere mediante alio; non tamen semper ita illuminare. Equidem certum est aliquando illuminare ad fidem & poenitentiam medijs Angelis & alijs hominibus.

Audi eundem Sanctissimum Præsulem Tract. 80. in Joannem circa medium: *Quid autem est Apollo? quid autem Paulus? Ministri per quos credidisti, & unicuique sicut Dominus dedit; non itaque de suo. Tam verò quod sequitur: sed Deus incrementum dedit, non per illos, sed per se ipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem; quoniam solus Dei est physicè causare gratiam sanctificantem; occasionaliter tamen per prædicationem Apostolorum, moraliter per Sacramenta cooperantibus ijs, qui crescunt, ad actus, & per actus disponentibus se ad habitus*.

Obijciunt heretici tertio ex ratione plura argumenta, sed hyeme frigidiora. Primum, quod per hanc doctrinam Catholicorum homines à Christo, & ejus passione revocentur. Respondeo, per usum Sacramentorum homines maxime incitari ad gratitudinem in Christum, qui tantæ in genus humanum fuit charitatis, ut acerbissimam pro ejus redemptione mortem subierit, in qua fundatur omnis efficacia Sacramentorum tanquam in thesauro pro nobis effuso, ad ejus proinde recordationem excitamur, quoties Sacramenta nobis applicantur.

Secundum: Videtur divinâ majestate indignum,

12. Augustini.

13. Obiectio hereticorum ex ratione, videlicet per hoc revocari homines à Christo, & passione illius.

14. Secunda, Deo indignum.

sum esse  
alligare suā  
virtutem  
Sacramen-  
tis.

indignum, quod suam virtutem alliget Sacramentis, ita ut maneat Deus quasi servus, debeatque nostram salutem operari adhibitis Sacramentis. & non sine illis. Respondeo, non magis dedecere Deum medijs signis à se electis operari salutem suorum Sanctorum, quam mediante speciali fide (ut impij volunt sectarij) vel per opera bona meritoria de congruo & condigno; cum & ista obligent Deum, ex fidelitate saltem ad mercedem retribuendam, id est, gratiam & gloriam.

15.  
Tertia, esse  
Idolatriam  
adhibere  
signis cor-  
poralibus  
vim sancti-  
ficantem.

Tertium: Idolatria est signis corporalibus adhibere vim sanctificantem, quandoquidem sanctificatio sit opus proprium Deo, ut fati intellexerunt Pharisæi Mar. 2. inquit Zuinglius. Respondeo Primò ad hominem, nos similiter posse dicere, quod ipsi committant idolatriam, dum fidei speciali attribuunt justificationem; illa quippe fides est etiam aliquid creatum. Et nonne magnam Deo irrogant injuriam, dum magis credunt Pharisæis dicentibus v. 7. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* quam Christo Joannis 20. v. 23, dicenti Apostolis: *Quorum remisero peccata, remittuntur eis?* Unde ad rem Respondeo Secundò, Deum remittere peccata auctoritate propria, Sacerdotem verò auctoritate Dei ab eo accepta; Deum principaliter, Sacramenta instrumentaliter.

16.  
Quarta, in  
omni Sa-  
cramento  
esse verbum  
promissio-  
nis divinæ;  
adeoque re-  
quiri fidem  
audientis.

Quartum: In omni Sacramento est verbum promissionis divinæ; ergo requiritur fides audientis, ne Deum faciat mendacem suā incredulitate. Respondeo Primò non in omni Sacramento esse verbum explicitum: nam qui dicit in Unctione: *Indulgeat tibi Deus* &c. non explicat promissionem, sed petitionem. Respondeo Secundò fidem esse necessariam adultis, ut dixi sectione præcedenti conclusionem secundā objectionem primā, non illam specialem hæreticorum, quā credant sibi esse remissa peccata per Christum; sed veram & Catholicam, de qua loquitur D. Paulus ad Hebræos 11. v. 6 *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et Apostolus Joannes 1. cap. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.*

Ad Hebr. 11.  
1, Jo. 5.

Objectioni,  
quod Sacra-  
mentum in  
adulto pec-  
catore non

Plus dico: nullus adultus existens in peccato mortali reportabit fructum gratiæ ex Sacramento sine actu aliquo supernaturali voluntatis; ut edissero sectione sequenti conclusione secundā. Ex quo alicui Catholico videri posset, Sacramentum novæ legis non conferre gratiam ex

opere operato; sed ex opere operantis secundum mensuram (ut loquitur Trident. sess. 6. cap. 7.) *quam spiritus sanctus paritur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem*, quæ dispositio & cooperatio est meritum saltem de congruo, in homine autem iusto etiam de condigno. Illa ergo erit objectio quarta, ad quam

Respondeo Primò, dispositionem in adulto peccatore non requiri per modum meriti, ut intuitu ejus tanquam operis boni Deus infundat gratiam; quippe gratia per Sacramentum infallibiliter conferitur disposito: quod utique non exigit meritum tantum de congruo, sed requiritur ad tollendum obicem; docet enim Trident. sess. 7. can. 6. Sacramenta quidem conferre gratiam, sed non ponentibus obicem. Obex autem licet propriè sonet positivum impedimentum, quod tunc solum est, quando quis in ipsa Sacramenti susceptione mortaliter peccat, tamen Concil. Trident. etiam intelligi debet de obice (ut sic loquar) negati vo; non enim ignorabat doctrinam Florentini & communem Theologorum, in receptione Sacramentorum non solum esse cavendum peccatum, sed etiam dignam preparationem præmittendam.

Enimverò sicut videmus causas naturales non assequi suum effectum, si vel subjectum habeat dispositiones contrarias resistentes introductioni formæ, vel etiam careat dispositionibus ad receptionem formæ necessarijs; ita Sacramenta, quæ instar causæ naturalis agunt, ut producant gratiam, requirunt non solum ut ei non resistatur per peccatum seu positivum obicem, sed etiam quod adsit debita dispositio, seu ut absit impedimentum ac obex negativus, qualis in adultis est infidelitas, & omne peccatum mortale nullo modo per displicentiam retractatum: unde in his requiritur fides in intellectu, & averfio peccati in voluntate; de quo plura sectione sequenti. Et sanè si quispiam peccatum non retractatum vocet obicem positivum, nolumus de voce contendere; quippe adultus habens usum propriæ voluntatis censetur illud continuare quamdiu non retractat.

Respondeo Secundò: semper intuitu Sacramenti datur major gratia, quam mereatur illa dispositio, attritio sit vel contritio, in homine iusto sive peccatore, perinde est. Ergo semper aliqua gratia datur ex opere operato: ergo illa dispositio solum est conditio, & non causa propriè

causet gra-  
tiam sine  
actu aliquo  
supernatu-  
rali volun-  
tatis in illo.  
Trident.

17.  
Responde-  
tur primò  
hoc requiri  
ad tollendū  
obicem.

18.  
Responde-  
tur secundò  
semper in-  
tuitu Sacra-  
menti dari  
majorem  
gratiam,  
quàm illa  
dispositio  
mereatur

proprie dicta. Sicut si Papa ad lucrandum indulgentiam requirat opus aliquod de se meritorium & satisfactorium; putas quia propterea indulgentia non conferet suum effectum ex opere operato? Certè non minùs, quàm si sufficiat opus ex circumstantia malum. Ratio: quia major pœna semper remittitur per talem indulgentiam, quàm ipsum opus bonum seclusâ indulgentiâ mereatur.

Idem cernitur in satisfactione Sacramentali, cujus fructus ex opere operato dabitur pœnitenti, etiamsi opus ipsum vitietur ex aliqua circumstantia veniali, v. g. ex fine vanæ gloriæ; & semper dabitur major fructus, quàm ipsum opus bonum secluso Sacramento mereatur: igitur opus illud in quantum meritorium vel satisfactorium non est causa proprie dicta, sed solum conditio quædam, sine qua Deus aut Pontifex noluit dare talem fructum. Ergo similiter licet Sacramenta non conferant effectum nisi homini disposito, ipsa tamen dispositio, esto secundum se meritoria de congruo vel condigno, non est causa proprie dicta, sed conditio, sine qua Christus noluit merita sua per Sacramenta applicari, & per consequens noluit dare talem gratiam.

Si inles: Etiam ipsa susceptio Sacramenti potest esse meritoria; Fateor: Ergo saltem tunc Sacramentum non conferet gratiam ex opere operato, Respondeo negando consequentiam, & redit eadem solutio; quia semper major gratia dabitur per illud Sacramentum, quàm actus iste bonus de congruo vel condigno mereatur. Herculè si parvulus, qui nullam adfert dispositionem, neque meritorie suscipit Sacramentum, equidem præcisè vi Sacramenti accipit gratiam; quidni etiam adultus bene dispositus & meritorie Sacramentum suscipiens? non est relictus ambigendi locus; quin imò (ut inferiùs doceo sect. 5. conclus. 1.) nunquam parvulus per Baptismum accipiet tantam gratiam, quantam adultus. Atque hæc sufficiant pro causalitate gratiæ ex opere operato; ex quibus

Colligo non satis aptè ab aliquibus dicti, Sacramenta causare gratiam solum per concomitantiam, aut non nisi tanquam conditiones sine quibus non. Prima pars probatur: quia quod solum concomitatur causam per se causantem, non potest dici causare aut effectum in se continere, quomodo à Concilijs dicuntur Sacramenta causare gratiam, ac eam in se continere; neque enim ex eo quod Deus ad præ-

sentiam lapidis produceret Angelum, lapis rectè diceretur causare Angelum aut eum continere. Fortè tamen illi Auctores solum voluerunt Sacramenta non causare physicè gratiam, sed virtutem divinam, quæ Sacramenta concomitantur.

Secundam partem ostendo similiter: quia conditio sine qua non incongruè dicitur causa effectus; sic enim approximatio ignis ad lignum, non vocatur causa calefactionis aut combustionis; sed solum requiritur ex parte agentis, quod nequit agere extra spheram suæ activitatis. Alioquin si particula nisi aut solum, excludat tantummodò causam physicam; vera est locutio, ut sequenti conclusione latius expendetur.

Confirmatur: quia conditio sine qua non, si est removens prohibens, non rectè dicitur continere ac causare effectum; quippe qui aperit fenestram impediens lumen solis, non rectè dicitur cubiculum illuminare. Si sit autem conditio requisita ex parte subjecti, multò minùs, subjectum siquidem nullo modo dicitur causare effectum, qui in eo producitur: sic contritio, quàmvis habeat infallibiliter annexam gratiam ex promissione divina, non tamen rectè dicitur illius causa; quemadmodum nec voluntas, ex cujus parte est conditio requisita.

Porro Sacramentum est conditio ex parte agentis principalis, non instar approximationis, propter hujus limitatam virtutem, sed ex libera Dei voluntate instar rei approximata; seu potius quasi applicans causam physicam, id est, virtutem divinam, ac propterea verè causa moralis; quomodo qui admovet ignem dicitur causa moralis combustionis domus. Atque hæc de prima controversia, quæ est cum hereticis.

Quia autem diximus Sacramentum esse causam moralem gratiæ, accedamus ad secundam quæstionem, quæ inter Catholicos, fortassis plus æquò, multis verbis extenditur ac discutitur: parum quippe referre videtur tum ad dignitatem Sacramenti, tum ad ejus utilitatem, an physica, an verò causa moralis gratiæ appelletur: dummodò eam contineat & conferat, Nihilominùs inhærentes vestigijs prædecessorum nostrorum, paucis exponemus judicium Doctoris Subtilis, pro quo sit

CON-

19.  
Non bene  
Sacramen-  
ta solum per  
concomi-  
tantiam, aut  
tanquam  
conditiones  
sine quibus  
non, dicuntur  
causare  
gratiam.



## CONCLUSIO II.

Nullum est Sacramentum quod gratiam physicè producat, & eadem est ratio characteris ac corporis Christi in Eucharistia.

21.  
Sacramentum, secundum Scotum non producit physicè gratiam.

Ita docet Scotus 4. dist. 1. q. 5. n. 12. ibi: Ad primam ergo questionem dico, quod cum necessitas eorum, quæ sunt ad finem, sumatur à fine, & secundum omnes loquentes de Sacramentis, finis Sacramenti est gratia, vel aliquis effectus invisibilis disponens hominem ad salutem, & iste finis potest sufficienter haberi eo modo, quo habetur per Sacramentum, abque hoc, quod dicatur Sacramentum habere aliquam actionem propriè dictam, sive respectu gratiæ, quam non potest attingere, cum illa creetur: sive respectu dispositionis supernaturalis præviæ, quia illa etiam creatur, sequitur quod non sit ponenda talis actio, cum nec ista plura sint necessaria, nec manifestè ponibilia.

Consequenter ad secundam questionem, quæ quærebatur, utrum possibile sit in aliquo Sacramento esse aliquam virtutem supernaturalem? Respondet Doctor ibidem n. 16. Pater (inquit) per idem, quod nec manifestè possibile, nec necessarium est ponere illam virtutem, quæ sit forma realis in Sacramento. Vt quid enim toties generaretur & corrumpere-  
retur? nec per illam si poneretur, aliquid causaretur in anima, nec causaretur ipsa regulariter, nisi ex pactione divina cum Ecclesiis: & sic sine eos superfluis in aqua & anima intermedijs potest salvari, quod pactio divina sit immediata respectu effectus conferendi & recipiendi Sacramenta.

22.  
Probat.

Ex his formo hanc rationem principalem nostræ conclusionis: non sunt multiplicanda entia sine manifesta possibilitate & necessitate, physica aut morali; atqui non est manifesta possibilitas causalitatis ac virtutis physice Sacramentorum, neque ulla necessitas ostenditur; ergo non est asserenda.

Minor, in qua sola consistit difficultas, probatur pro secunda parte; quia necessitas, si quæ est, fundatur primò & potissimum in auctoritate sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum ac Conciliorum, præsertim Florentini & Tridentini dicentium, Sacramenta continere ac causare gratiam, atque per ea nos mundari & justificari, ut vidimus conclusione præce-

deni: Scripturæ autem intelligi debent in propria significatione & non in metaphorica, quomodo caperentur, si Sacramenta dicerentur causæ non physice, sed morales tantum. Et hanc efficaciam Sacramentorum multum admirantur Sancti Patres, quæ tamen non esset admiranda, si solum foret moralis.

Respondeo, Scripturas & Patres frequentissimè tribuere efficaciam gratiæ ijs rebus, quas certum est non esse nisi morales causas. Sic Jac. 1. v. 21. *Suscipite instum verbum* (vitæ seu Evangelicum) quod potest salvare animas vestras. Et Tobia 12. v. 9. *Quoniam elemosina à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata.* Ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem.* Et v. 26. *Vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.*

Igitur sicut in his locis verba activa & præpositiones per & ex, non significant physicam causalitatem, ita possunt in alijs locis eam non significare; & consequenter doctus aliquis ac prudens, qui neutrius sententiæ præiudicio est præventus, non hoc ipso quod in Scripturis ac Concilijs audit causalitatem gratiæ attribui Sacramentis, suspicabitur esse physicam. Nonne Trident. less. 6. can. 24. docet per bona opera augeri gratiam iustificantem? Si quis (inquit) dixerit iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera &c. anathema sit. Et 2. Reg. 12. v. 9. dicit Nathan ad David: *Vriam Hebraum percussisti gladio... & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.* Quis propterea interpretatur causalitatem physicam?

Ex subjecta ergo materia modò physica, modò moralis causalitas colligetur sic quippe homo generans hominem, esto moraliter quodammodo causet animam rationalem, movendo Deum medijs dispositionibus ad infusionem animæ; eundem non dicitur simpliciter causâ animæ rationalis; quia juxta subjectam materiam id intelligeretur de causalitate physica, quam habet circa dispositiones, & fortè unionem. Ubi autem intelligeretur ex circumstantijs non esse sermonem de causalitate physica, ille qui mereretur creationem animæ, posset simpliciter dici causâ istius animæ.

Et quamvis causâ physica in rigore philosophico magis propriè dicatur causâ; causâ tamen moralis magis usitatè appellatur causâ. Equis enim magis dicitur expugnasse urbem dux absens, an milites,

23.  
Scripturæ & patres frequentissimè causas tantum moralibus tribuunt efficaciam gratiæ.  
Iac. 1.  
Tobia 12.  
Ad Rom. 3.

Trident.

2. Reg. 12.

Ex subjecta materia physica vel moralis causalitas intelligenda est.

Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 2. 65

ites; qui ejus auspicijs, jussu & consilio pugnant? Nonne dux? Quis magis dicitur occidisse reum, judex sua sententia, tanquam instrumento morali, an tortor suo gladio? Nonne judex? Oportet autem Scripturam intelligere maxime secundum usitatum modum loquendi.

Neque obstat, quod causa moralis sit æquivalenter causa physica; siquidem etiam peccatum habituale est æquivalenter peccatum actuale, & tamen proprie appellatur peccatum, licet non in stricta acceptione.

24. Inter causas morales alia est principalis, alia instrumentalis.

Trident.

Porro sicut inter causas physicas alia dicitur principalis, alia instrumentalis; ita pariter inter morales: v. g. dominus mandans homicidium est causa principalis, famulus deferens mandatum instrumentalis. Ad propositum Christus est causa principalis ac meritoria nostræ justificationis, ut docet Trident. sess. 6. cap. 7. ibi: *Huius justificationis cause sunt; finalis quidem, gloria Dei & Christi ac vita æterna: efficiens verò misericors Deus &c. meritoria autem dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus; qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, quæ dilexit nos, sua sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit.* Sacramenta verò instrumentalis, attestante ibidem Concilio his verbis: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi; quia Christus non solum meruit nobis gratiam & justificationem, sed etiam meruit, quod ea perficeretur in nobis per cæremônias quasdam à se institutas, quas nos vocamus Sacramenta; ita ut quicumque ea legitime applicentur, ei etiam applicetur aliqua portio meritorum Christi, quæ jus sibi ad gratiam acquirat.*

Quare Sacramenta dicuntur vasa gratiæ.

Calvinus.

Quia ergo virtus divina ita infallibiliter Sacramentis afflitt, idque ex meritis Christi & pacto divino; recte dicitur illa virtus inexistere Sacramentis, & in ijs merita Christi, & gratiam sanctificantem contineri, quemadmodum effectus continetur in sua causa: propter quod accommodatè dicuntur vasa gratiæ, idque conformiter ad phrasim Scripturæ; quæ instrumenta, quibus mors inferebatur seu caulebatur, vocat vasa mortis. Unde more suo calumniatur Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 17. dum hunc modum loquendi traducit, quasi Doctores velint gratiam in Sacramentis contineri materialiter, sicuti materialiter liquor continetur in pixide. Non sic hæretice, non sic; sed (ut mox dixi) sicuti effectus continetur in sua causa.

25. Ex quo ulterius patet, Sacramenta non esse nuda signa, sed practica: & non inftar plumbeti, ad cujus ostensionem detur pa-

nis, sed verè continere gratiam & pretium nostræ redemptionis instar chirographi, aut potius crumenæ nummis plenæ, per quam redimatur quis à servitute. Quod merito mirantur SS. PP. nominatim D. Aug. tract. 80. in Joannem, dicens: *Quæ tanta virtus aqua, ut corpus tangat & cor abluat?* Mirum quippe est, tam infirmis rebus Christi merita ac divinam virtutem, ad tantum effectum tam infallibiliter esse annexa; utique ut ex imperfectione & infirmitate Sacramentorum magis argueretur potentia Dei; veluti qui ob eundem finem infirma & stulta mundi elegit ad eisdem conversionem.

Quod merito mirantur SS. Patres.

S. Aug. 80.

Mirabile certè, quod non nisi per fidem cognoscitur, & ab hæreticis, qui tamen bene sciunt nostram explicationem, mordicus negatur. Nos autem (inquit Apostolus 1. Cor. 1. v. 23.) *predicamus Christum crucifixum: iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quare? quia intelligere non poterant quomodo Christus uteretur sua passione ad nostram salutem, ad quam tamen solum concurrat moraliter. Nunquid mirabile fuit Naaman Syro, quod in Jordane deberet septies tantum lavari ut mundaretur à lepra, quamquàm aquæ istæ longè imperfectius agerent, quàm nostra Sacramenta?

1. Cor. 13

Profectò si Concilium Trident. (ut statim vidimus) non tribuit Christo quæ homini ac passioni ejus, nisi causalitatem finalem atque meritoriam, quam constat non esse physicam (quippe gratia data fuit Patribus antiquis vi passionis Christi nondum existentis, & de facto datur nobis virtute passionis præterite) quis justè possit indignari, Doctorem Subtilem non tribuere perfectiorè influxum in gratiam Sacramentis, quæ concurrunt in virtute passionis Christi, veluti ejus instrumenta? Igitur sicuti Christo & passioni ejus, Scriptura, Patres & Concilia tribuunt effectum gratiæ, licet non sint causa physica; pari ratione idem effectus concedi potest Sacramentis absque physica eorum causalitate.

Concilium Trid. non tribuit Christo quæ homini ac passioni ejus, nisi causalitatem finalem atque meritoriam, quæ non est, nisi moralis.

26. Quapropter nimis leviter Dicastillo tract. 1. de Sacramentis disp. 2. n. 141. fundat suam sententiam in illis verbis Pauli ad Titum 3. v. 5. & 6. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum salvatorem nostrum.* Ex quibus verbis (inquit ille Auctor) colligi potest hæc ratio; causalitas in Sacramentis admittenda est, quæ sufficiat non solum ut Christus, sed etiam Deus, ut Deus est, dicatur conferre gratiam per Sacramenta; ad hoc autem non sufficit sola causalitas moralis.

26. Nimis leviter colligit Dicastillo causalitatem physicam ex verbis Apostoli ad Titum 3. Ad Titum 3.

moralis: ergo alia, nempe physica, erit admittenda. Major patet ex testimonio citato: illa enim verba, *per Iesum Christum salvatorem nostrum*, manifestè indicant illum, qui dicitur vivos nos facere per Baptismum, non esse solum Christum, ut Christus & homo est, sed etiam Deum ut Deus est, ac tres personas Sanctissimæ Trinitatis. Eundem loquendi modum usurpat Chrysostomus Homil. 14. in Genes. ad finem, dum ait: *Deus ineffabili misericordiâ larguus est nobis innovationem per lavacrum regenerationis*. Et Aug. lib. 19. contra Faust. c. 16. dum ait virtutem divinam, quæ per Sacramenta operatur, esse permanentem, quàmvis Sacramenta transeant & successiva sint. Concilium etiam Moguntinum in doctrina fidei cap. 11. docet septem esse Sacramenta, per quæ tamquàm per apta instrumenta Deus impartitur suæ gratiæ munera. Quod autem ad proprietatem huius loquendi modi non sit satis causalitas moralis, probatur 1. inductione. Nam ille, qui ex præcepto aut consilio alterius aliquè occidit, non dicitur eum occidere per causam præcipientem aut consulentem; sed potius moralis causa, nempe consulens aut præcipientes dicitur alterum occidere per causam exequentem, quam movet ad homicidium. Item quando per instrumentum morale, nempe scripturam, aliquis adstringitur ad solvendum id, quod debet, non dicitur operari aut debitum solvere per publicum instrumentum ab ipso subscriptum; sed potius creditor dicitur per huiusmodi instrumentum operari, hoc est, adstringere debitorem ad solvendum. Tertio: Quàmvis merita nostra sint causa moralis gloriæ; Deus, qui in executione gloriam confert, non dicitur illam in executione conferre per merita, sed propter merita: ergo causalitas moralis non est sufficiens, ut causa physica exequens dicatur per illam proprie operari; sed propter illam. Hucusque Dicastillo.

27. Quæ fuerit mens SS. Patrum de causalitate Sacramentorum. Cyprianus.

Basilium.

Et quidem si de mente Patrum agitur & modo loquendi; Cyprianus Sermone de Baptismo Christi: *Remissio* (inquit) *peccatorum sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donec ut, propria spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientia privilegium manet: verborum solemnitas, & sacri invocatio nominis, & signa institutionibus Apostolice sacerdotum ministerijs attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti Spiritus Sanctus format & efficit*. Concordat Basilium lib. de Spiritu Sancto cap. 15. ubi sic ait: *Qui nobis vitam dispensat Dominus, Baptismatis pactum nobis statuit mortis quidem imaginem implente aqua; spiritu verò vitæ arrham præbente*. Ergo

existimat hic Sanctus Pater Baptismum esse pactum vel signum pacti, quo posito statuit Deus per se immediatè gratiam infundere.

Accedat D. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est*. Denique D. Aug. Epist. 23. de Baptismo: *Aqua* (inquit) *exhibens forissecus Sacramentum gratiæ, & spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in uno Christo*. Et lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Neque enim aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum Sanctum; orabant ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non eum ipsi dabant*.

Ecce quemadmodum SS. Patres simpliciter negent sacramenta producere gratiam; hæc immeritò, si sint instrumenta physica: quippe non rectè negaretur securis dividere lignum, eò quod solum dividat instrumentaliter. Et in sententia aliquorum, intellectus & voluntas solum sunt causæ instrumentales actuum supernaturalium; & quis tamen audeat ipsis negare rationem causæ, dicente Concil. Trident. sess. 6 can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium hominis a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo &c. anathema sit?*

Neque hinc sequitur, etiam debere negari causalitatem moralem ex mente Patrum; siquidem plurimis alijs locis iidem Patres affirmant sacramenta producere gratiam: ut ergo inter se conciliantur, debet statui causalitas moralis, & negari physica. Sic in communi modo loquendi unæ & eidem causæ attribuiamus & negamus effectum; v. g. si laudetur artificium alicuius palatii; dicitur Princeps non exstruxisse, sed artifex: si verò sumptuositas; Princeps, non artifex. Similiter Patres quando in Sacramentis explicant, quæ sit vis physicè producens gratiam, eam attribuunt soli Deo; quando verò explicant quid possint sacramenta ratione suæ institutionis & meritum Christi, docent ea causare gratiam.

29. Argumentum Dicastillonis? Respondeo negando minorem, videlicet causalitatem moralem non sufficere, ut Deus dicatur conferre gratiam per sacramenta. Enimverò quid evidentiùs in Scriptura, quàm Deum iustificare homines per Christum & per fidem in Christum? Consule locum Apostoli ad Titum 3. supra allegatum, & scriptum invenies v. 6. *Quem* (Spiritum Sanctum) *effudit* (Deus) *in nos abundè per Iesum Christum*.

Audi

Immeritò negant Patres sacramenta producere gratiam si physicè illam producant.

Trident.

28. Negant etiam causalitatem physicam, & statuunt moralem.

29. Argumentum Dicastillonis retorquetur ex Scriptura, quæ sæpè causam efficientem physicam dicit operari per moralem.

*Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 2. 67*

*Epist. 1.*  
Audi quid dicat ad Ephesios 1. v. 3. & seq. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo &c. Qui praeordinavit nos in adoptione filiorum per Iesum Christum, in ipsam secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos, in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum &c.*

*Trident.*  
Nunquid ideo humanitas Iesu Christi est causa physice efficiens nostram justificationem? Non puto: alioquin cur Trident. supra sess. 6. cap. 7. expressè enumerans causas justificationis, ne verbo quidem ipsius meminisset, tribuens soli Deo causalitatem efficientem, & meritoriam Christo, & instrumentalem Baptismo? Et nonne Deus Spiritum Sanctum effudit in antiquos Patres per Iesum Christum, ipsosque praeordinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum? Quis audeat negare?

*Ad Rom. 3.*  
Rursus Apostolus ad Roman. 3. v. 30. *Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcissionem ex fide, & praepitium per fidem.* Num ideo fides physice efficit nostram justificationem? Quis credat?

*30. Exilio Dicastillonis*  
Respondet Dicastillo n. 154. Licet fides ad justificationem solum concurrat ut moralis dispositio; ipsam tamen fidem sicut causa principalior & supernaturalior operatur Deus, ob quam physicam Dei causalitatem proprie dicitur per fidem hominem iustificare, quia per fidem disponit hominem ad justificationem. In Sacramentis autem, si ea physico modo non concurrant ad gratiam, Deus sicut causa supernaturalis nihil physice operatur, & ideo dici non posset proprie per Sacramenta in executione gratiam conferre.

Eodem modo intelligitur Deus per Christum salvare homines; nam praeterquam quod probabilior sententia est, Christi humanitatem esse physicum instrumentum justificationis hominis, Deus etiam causavit ipsius Christi supernaturalem compositionem tamquam causa principalis, & propter utramque rationem Deus, ut Deus, dicitur proprie salvare & iustificare homines per Christum. Hucusque Dicastillo.

*Præcluditur. 8. Ambr.*  
Sed (pace tanti viri) *Auctor Sacramento-rum quis est nisi Dominus Iesus? de celo (id est à Deo) ista sacramenta venerunt,* inquit D. Ambr. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Si ergo propter supernaturalem compositionem Christi, quam Deus causavit tamquam causa principalis, Deus ut Deus dicitur proprie salvare & iustificare homines per Christum ac sanguinem Christi (ut loquitur Apost. supra ad Ephes. 1.) quidni etiam per

Sacramenta Christi, quae Deus instituit tamquam causa principalis? Profecto fidem supernaturalem, quae disponit ad justificationem, intellectus purae creaturae coefficet physice; infallibilis autem efficacia gratiae in Sacramento soli Deo propria est, ut ostendimus sectione secundâ conclusione primâ. Potiori igitur ratione dicitur in Scriptura salvare & iustificare per Sacramenta, quam per fidem.

Ex his patet responso ad inductionem. Ad primum dico, physice occidentem occidere per consulentem tamquam instrumentum morale; quemadmodum gladio, sive per gladium veluti per instrumentum physicum. Deinde assigno disparitatem, quod consulens homicidium nullo modo sit subordinatus & dependens in suo consilio (ratione cuius moraliter causat) ab illo, qui physice homicidium exequitur: porro Sacramenta omnem suam causalitatem moralem & vim causandi habent dependenter à Deo, qui est causa physica; adeoque sunt instrumentum subordinatum.

Ad Secundum quæro, an huiusmodi instrumentum sit causa physica? Minimè, inquis, sed moralis tantum; quia & ipsa obligatio & coactio non sunt nisi quid morale.

Quomodo ergo rectè dicitur creditor per huiusmodi instrumentum agere? Quia (reponis) creditor solum agit moraliter, & ideo bene dicitur agere per causam moralem: porro debitor est causa physica solutionis, & ideo non rectè dicitur solvere per huiusmodi instrumentum, sed potius propter huiusmodi instrumentum. Ergo similiter cum Deus sit causa physica gratiae, non rectè dicitur illam producere per Sacramenta tamquam instrumenta moralia, sed potius propter illa.

Sed contra: Unde constat illud instrumentum esse veram causam moralem, & non magis nudum signum obligationis? quippe absque illo debitor obligatur: at verò Sacramentum non est nudum signum obligationis divinae, sed vera ratio movens & obligans Deum ad causandum physice effectum gratiae, quem independenter à tali signo nec poneret, nec deberet ponere; & hoc est Sacramentum esse causam moralem gratiae: quemadmodum praecipuum v.g. jejunandi, sive divinum, sive humanum, est causa moralis obligationis, & per consequens jejuniij, quod ex illa obligatione ponitur.

Optima (ais) responso. Ergo Petrus rectè dicitur jejunare per praecipuum vel praecipientem. Distinguo: moraliter, concedo; physice, nego.

Deinde disparitas est, quod jejuniium non fit in-

31. Responso ad primum simile inductionis.

32. Ad secundum.

fit infallibilis effectus præcepti, sicuti gratia est effectus infallibilis Sacramenti. Neque Petrus vim obligandi dedit præcepto, sicuti Deus vim justificandi dedit Sacramento.

Cæterum haud satis clarè video, quare sicuti creditor dicitur moraliter cogere debitorem ad solvendum per huiusmodi instrumentum; sic itidem dici nequeat debitor per idem instrumentum moraliter solvere debitori.

Nam quòd debitor sit causa physica solutionis (ut supra dicebatur) inde tantum sequitur, quòd præter causalitatem moralem instrumenti, insuper requiratur causalitas physica, v. g. numeratio pecuniæ. Jam autem cur eadem causa non possit dici solvere moraliter per instrumentum, & physicè per numerationem pecuniæ? Non apparet quid obstat: sicut in responsione ad primum diximus, famulum occidere physicè gladio, & moraliter mandato Domini. Sic ergo Deus dicitur causare physicè gratiam virtute propriâ, moraliter autem virtute Sacramenti sive per Sacramentum.

33.  
Ad tertium.

Ad tertium est similis responsio, videlicet tam propriè Deum justificare hominem & salvare per merita propriâ & propter illa, quàm per merita & propter merita Christi, ut loquitur Trident. sess. 6. cap. ultimo. *Trident.* ibi: *Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur; illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.* Et ratio est: quia omne meritum puri hominis radicitur & provenit ex gratia & merito Christi, teste eodem Concilio loco citato, ibi: *Cùm enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bonorum opera semper antecedit & concomitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent &c.*

Sane si per fidem propter ejus supernaturalitatem rectè dicitur Deus justificare & salvare; cur non etiam per merita nostra, quæ vel in substantia sunt supernaturalia, vel saltem à virtute supernaturali oportet imperentur? Et si per Apostolos convertit mundum & fecit miracula, qui tamen solùm erant causæ instrumentales; quòd inconveniens si per Sacramenta justificet tanquam per instrumenta moralia?

34.

Patres comparant Sacramenta

Hæc ad superfluitatem pro everfione potissimi fundamenti causalitatis physicæ desumpti ex Scriptura, Patribus & Concilijs. Nam quòd quidam dicunt Patres comparare Sacramenta causis naturalibus,

& nos supra comparavimus; sed in infallibilitate effectus, non in modo causandi. *Distinctio* quòque inter Sacramenta nova & vetera, haud accipienda est ex modo causandi, sed ex parte ipsius gratiæ; siquidem vetera legalem, nova gratiam sanctificantem conferunt. *Per idem* (inquit Scotus 4. dist. 1. q. 5. n. 17.) *dico ad illud de distinctione Sacramentorum nova Legis & veteris; non enim distinguuntur per illud, quòd neutri illorum potest convenire, scilicet activè agere ad aliquid spirituale in anima; sed ista nova Legis gratiam causant tanquam signum efficax, illa autem veteris Legis non, loquendo de Sacramentis, id est, de ceremonijs istius legis.*

Si loquaris de Circumcisione & alio remedio Legis naturæ; Respondeo ex sectione secunda conclusione sexta non necessariò differre in causalitate atque effectui, nisi in hujus abundantia; plus siquidem valet pretium persolutum, quàm persolvendum; hoc est, passio Christi exhibitæ, quàm exhibenda; à qua tamen passione omnia Sacramenta suam habent & habuerunt efficaciam. Cætera fundamenta ex ratione minorem habent difficultatem.

Primum sit: causalitas physica conducit ad dignitatem Sacramentorum; alioquin non videbuntur aliter concurrere ad productionem gratiæ per Deum, quàm signa magica ad nocumentum inferendum per dæmonem.

Respondeo: signa magica ordinantur ad effectum naturalem & fallibilem; nituntur quippe pacto inito cum diabolo, qui deberet fallere fidem, & sæpe fallit; Sacramenta autem habent effectum supernaturalem & infallibilem. Unde signa magica sunt mera conditio, quæ postea dæmon propter alia motiva excitatur ad operandum; signa verò sacramentalia nituntur promissioni Dei, quæ nequit deficere, & habent ex se vim ad movendum Deum tanquam operationes Christi. Alioquin in reliquis est similitudo: nec mirum, cùm dæmon instar simiæ in omnibus opera divinæ potentæ æmuletur, sicut apparet in magis Ægypti imitantibus signa divinæ à Moyse edita.

De hac æmulatione optimè Tertullianus libro de Præscrip. adversus hæreticos cap. 40. *Ipsus* (inquit) *re: Sacramentorum divinarum in idolorum mysterijs diabolus imitatur; tingit & ipse quosdam, signat in fronte quosdam milites suos, expiationem delictorum de lavacro promittit & sic etiam imitat mirra.*

Neque concursus physicus argueret excellentiam Sacramentorum, aut divinam potentiam

causa naturalibus in infallibilitate effectus. *Distinctio* Sacramentorum nova & veteris Legis. *Scam.*

35.

*Distinctio* signorum magicorum, quoad causalitatem, à signis sacramentalibus.

*Tertullianus*

36.

*Concursus* physicus

non arguo-  
ret excel-  
lentiam Sa-  
cramentor-  
um, sur-  
divinam  
potentiam.

Et posito  
quod ille  
concurrit  
ad dignita-  
tem Sacra-  
mentorum  
conducat;  
non idcirco  
admitten-  
das foret.

3. Aug.

37.  
Ad obje-  
ctionem,  
quod hu-  
manitas  
Christi phy-  
sicè opera-  
batur mira-  
cula;  
Respondet  
primò  
ex SS. P. P.  
negando  
suppositum.  
3. Athanasius.  
3. S. Hieronymus.  
S. Leo.

Respondet  
secundo  
negando  
consequen-  
tiam.

38.  
Ut verè di-  
catur Sacra-  
dos Deo

potentiam; nam & causa moralis nobilius dicitur causa, quam physica; ut manifestum est in Rege imperante, & subdito physice imperium exequente; & hic concursus physicus, si quis foret, non apparet; adeoque non potest divina potentia in eo manifestari.

Et esto causalitas physica conducat ad dignitatem Sacramenti; ubi revelatum est, vel qua ratione ostenditur omnem dignitatem possibilem adscribendam esse Sacramento? Ceteroquin dicamus etiam humanitatem atque Sanguinem Christi causare physice gratiam & gloriam omnium Beatorum, B. Virginem gloriam aliorum Sanctorum; quia hoc spectaret ad eorum majorem dignitatem. Si autem hæc communiter negantur; si Christus qua homo non causat physice gratiam; qua ratione id tribuitur Sacramento, quod non causat, nisi in quantum est operatio Christi? Non quidquid occurrit, melius; sed *Quidquid* (inquit D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5.) *tibi verè ratione melius occurrerit; scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invidia infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaverit, iam nihil aliud inferius velle fieri.*

Sed contra (& hoc sit secundum fundamentum) humanitas Christi physice operabatur miracula: ergo Sacramenta gratiam. Respondet Primò negando antecedens; nam (ut bene Athanasius ser. 4. contra Arianos) *Humano (inquit) more manum extendit (Christus) divinitas autem morbum compefcuit.* Et Sophronius in Epistola synodica, quæ habetur in sexta Synodo Aët. 11. *Vnus duarum naturarum, secundum aliam divina signa operabatur, secundum aliam humania recipiebat.* Accedat D. Leo Epistola 10. cap. 4. *Vnum horum coruscant miraculis, aliud succumbit iniurijs.* Simili modo loquuntur alij Sancti Patres. Et verò nonnè perfectius & dignius est voluntatem humanam Christi habere sibi assistentem divinam virtutem, quæ ad nutum ejus physice operetur miracula, quam ipsam physice oportere illa efficere? sic quippe suo modo loquendi voluntas humana imperat voluntati divinæ.

Respondet Secundo negando consequentiam; siquidem miracula erant actiones, quas Christus personaliter operabatur, Sacramenta autem solum sunt moraliter actiones Christi.

Tertium fundamentum sumitur ex virtute formæ Sacramentalis: nam Sacerdos dicit, *Ego te absolvo*: ergo illis verbis causat

physice gratiam remissivam peccatorum; alioquin solus Deus loquente Sacerdote solvit. Respondet negando consequentiam: quippe ut Sacerdos verè dicatur cooperari Deo, satis est causalitas moralis; quis enim ambigat dominum mandantem homicidium cum veritate dicere: *Ego cooperor servo physice occidenti?*

Accipe instantiam clarissimam: Sacerdos in veritate loquitur dicens: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, à pena peccatis remissis debita*; an propterea physice aliquid causat in eo, quem absolvit? Episcopus ordinans dicit: *Do tibi potestatem offerendi sacrificium*; quam tamen, utpote nihil physicum, solum producit moraliter. Et ita communiter homines aiunt: *Remitto tibi hoc debitum vel offensam* absque ulla mutatione physica in debitore.

Cæterum intentionis nostræ non est, creaturæ negare omnem cooperationem physicam ad actionem sive effectum specialem Dei: Nam Christus Matth. 10. Apostolis suis prædicit v. 19. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquamini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, cum tamen physice loquerentur: sed quod asserimus & hætenus probavimus est, non satis constare, neque ex auctoritate, neque ex ratione, Sacramenta physice operari, quemadmodum constat Apostolos physice fuisse locutos; præsertim quandoquidem, ut habet secunda pars minoris supra positæ (quæ restat probanda) licet fortassis impossibilitas causalitatis physice Sacramentorum non evidenter possit probari, ejus tamen possibilitas manifeste etiam minime ostendatur.*

Porro ad probandam impossibilitatem assumo hoc medium: Nihil potest physice & realiter causare, nisi physice & realiter existat; atqui in Sacramentis nihil est physice & realiter existens à quo gratia possit dici causari, ergo &c. Consequentia est syllogistica. Major etiam patet; quia causare præsupponit esse (ut habet axioma commune) aliàs chymera posset physice generare chimeram: quod enim aliqui putent id quod realiter fuit, posse realiter causare etsi defierit, non habet apparentiam veritatis; quippe causalitas realis dicit dependentiam ac processionem realem ab alio, quæ utriusque intelligi nequit, nisi aliud realiter sit; quod enim desijt, non facit ad præsentem causalitatem plus quam si nunquam fuisset.

Minor verò, quæ aliquibus difficilis

cooperari,  
sufficit cau-  
salitas mor-  
ralis.

A simili.

Matth. 10.

39.  
Probat  
impossi-  
bilitas causa-  
litas physice Sacra-  
mentorum;

Primò ex non realitate significationis;

apparet, probatur Primò: quia id per quod proximè principaliter Sacramenta producunt gratiam, est significatio. Enimverò quocumque idiomate proferatur forma, & quantumvis toni diversi sint, eadem est productio gratiæ, si eadem sit significatio; atqui significatio nihil est reale, quia quòd forma deputetur ad hoc vel illud significandum, nihil reale ponit in Sacramentis; ergo &c.

40. Secundo ex non existentia Sacramentorum, quando causant gratiam.

Secundò probatur: quia Sacramenta non causant gratiam nisi eo instanti, quo sunt completa ( ut omnes fatentur ) sive quo ultima syllaba est pronuntiata, ac materia exhibitæ: atqui eo instanti Sacramenta non existunt realiter; ergo realiter non causant, sed ad summum ultima syllaba ita causabit. Probatur subsumptum: quia exceptâ Eucharistiâ, reliqua Sacramenta consistunt in actione successiva ac fluxa, cujus partes nullâ physicâ unione coherent, ut patet in hac forma: *Ego te baptizo* &c. in qua dum ultima syllaba profertur, desierunt priores.

Respondet Dicastillo, ultimæ particule conferri à Deo concursum physicum, in virtute præcedentium.

Ad hoc argumentum respondent aliqui sufficere ut totum Sacramentum dicatur causa physica gratiæ, quòd ultimæ particule seu indivisibili velit Deus conferre concursum physicum in virtute præcedentium, hoc est propter moralem respectum ad præcedentes partes quibuscum constituit unum aliquod compositum morale Sacramentale. Sic in bello aliquando physica actio occupandi v. g. civitatem aut destruendi illam tribuitur exercitui, & tamen sæpe aliqua pars exercitus, & pauci satis milites operati sunt physice; ceteri tantum assistendo, comitando & suâ saltem præsentia animando &c. qui modus concurrendi ex parte cæterorum moralis tantum esse solet; nihilominus physice operatum fuisse exercitum illam actionem verè dicimus; neque ad hoc requiritur major unitas, quàm moralis, & ordinis ut actio tribuatur toti composito, esto aliæ partes solum moraliter concurrant. Sic ergo in præsentia, etiam si priores partes solum concurrant moraliter, quia tamen ultima syllaba physice operatur, & hæc censetur pars illius moralis compositi, hoc satis est ut illud compositum dicatur physice operari. Ita Dicastillo disp. 2. dubio 5. n. 170.

Solvitur;

Verum eadem facilitate, quâ ipse tribuit exercitui causalitatem physicam, alij negant, & adscribunt solum causalitatem moralem: vel enim per exercitum intelligimus singulos milites, ex quibus constituitur; certum autem est non omnes physice occidere, uno occidente; sic quippe in bello

justo omnes contraherent irregularitatem ex unius physice occisione, quod constat apud omnes esse falsum: vel accipimus exercitum pro aggregato plurium hominum sub isdem signis militantium, ut est corpus aliquod politicum à singulis inadæquatè distinctum, & ita cum nihil physicum sit, sed solum aliquid morale, nihil physice dicitur operari, nisi omnes partes sive membra illius corporis physice operentur; quis enim dixerit republicam physice occidere ex eo quòd unus civis concivem suum vel extraneum occidat?

Aliud est de composito physico, quod est subiectum denominationis, seu principium quod operationum cujuscumque partis, v. g. globus perfecte rotundus dicitur physice tangere planum, etsi puncto solum tangat; & homo physice producit visionem, quàmvis solus visus concurrat; ignis dicitur calefacere, aqua frigefacere, licet sola forma sit activa. Porro Sacramenta si sint principium physicum gratiæ, erunt principium quo, utpote instrumentum physicum.

Accedit, quòd corpus rotundum & homo existant realiter ( idem est de exercitu, gratis admisso, quòd sit subiectum denominationis physice ) dum punctum tangit planum, & visus elicit visionem, & pars militum occupat civitatem; aliæ autem partes Sacramenti non existunt ( adeoque nec ipsum Sacramentum physice ) dum ultima pars dicitur producere gratiam. Unde sicuti si homo ac corpus rotundum non existerent realiter, dum punctum physice tangit planum, & visus elicit visionem; reverà non dicerentur physice tangere ac videre. Similiter si ante occupationem urbis soli illi restarent ex exercitu præterito, qui physice occupant; exercitus deletus reverà non diceretur physice occupare. Ita non possunt ratione solius ultimæ partis Sacramenta dici physice ac realiter causare, quia dum sola existit ultima pars, Sacramentum physice non est, cum ultima pars sola non constituat Sacramentum.

Præterea arguitur contra hanc resolutionem ex reviviscencia Sacramentorum, de qua sequenti sectione: siquidem contingit aliquando Sacramenta non producere gratiam dum existunt, propter nimirum obicem in suscipiente, quo postmodum sublato producunt gratiam, seu reviviscunt ( ut loquuntur Theologi ) & tamen eo casu indubitatum est nihil Sacramenti physice existere, adeoque Sacramentum non esse nisi causam moralem: quippe incredibile est quòd aliqui dicunt, in hoc casu

41. Prout & obiectio de composito physico, quod est principium quod operationum cujuscumque partis.

Solutio secundum.

42. Impugnatio Responsionis ex reviviscencia Sacramentorum.

Sacra-

Sect. 4. De Causal. & effectu Sacram. Concl. 2. 71

Sacramenta concurrere physicè ratione virtutis à se relictæ.

Nam, præterquam quòd æquè difficulter intelligatur hæc virtus à Sacramentis realiter produci, quàm ipsa gratia, utpote quæ deberet etiam causari proximè à significatione Sacramentorum, quæ non est ens reale, atque ab omnibus partibus, quæ realiter non existunt dum absolvitur, atque completur Sacramentum; specialiter contra facit, quòd eo casu non Sacramenta, sed prædicta virtus physicè solum concurreret, Deinde non potest satis intelligi, quæ sit illa virtus, in qua potentia resideat; an sit deletibilis, vel indelebilis: si sit deletibilis, per quid deletatur; si enim deletatur per peccatum, sequetur quòd Sacramenta non reviviscant, quando eo tempore, quòd intercessit inter susceptionem Sacramenti & sublationem obicis, commissum fuerit peccatum mortale, quod est contra omnes Theologos: si verò sit indelebilis, quomodo poterit Sacramentum reiterari?

Neque dici potest esse ipse character, quia hic ad alios fines ordinatur, ut postea dicitur; & si esset causativus gratiæ, hoc esset per modum causæ naturalis, adeoque caularet eam quotiescumque non inveniret obicem; quod est absurdum. Igitur si Sacramentum reviviscens (ut plerique docent) non causat physicè gratiam; quidni Sacramentum primò collatum non operetur nisi moraliter? quippe Sancti Patres utriusque eandem causalitatem attribuunt.

Audiamus D. Aug. lib. 3. de Baptismo cap. 3. loquentem hæc verbis: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesia pacem venerint, non ut iam dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Et libro 6. de Baptismo cap. 25. *Deus sanctificat Sacramentum suum, ut homini, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, id ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret.* Eodem modo loquitur Auctor sermonis de Passione Christi apud Cyprianum ante finem: *Et licet (inquit) indigni sint qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorum ad Deum parat accessum: & ubi redierint ad eor, constat ablutiois donum, & redit effectum manerum.*

Respondet Dicastillo supra n. 176. Aug. minùs propriè ibi usurpare verbum operandi; falsum quippe est eadem ratione

Baptismum operari vitam & mortem: nam ex se & propria institutione, id est ex opere operato caulat vitam; mortem verò tantum per accidens & occasionaliter; ut patet. Sicut ergo causalitas occasionalis mortis non obest causalitati morali gratiæ; ita hæc non obest, quòd minùs quando Sacramentum est præsens, censetur causa physica, ita auctoritate & ratione exigente. Similiter non est eadem ratio gratiæ sanctificantis & gratiæ actualis ad non peccandum; item miraculorum quæ sancti viri dicuntur operari, & damnationis cuius peccator dicitur causa suis delictis; quia (inquit Dicastillo supra n. 179.) non vim ponimus in voce *causa*; sed in eo modo, quo dicuntur à Patribus ex Scriptura causare Sacramenta gratiam, quorum verba physicam virtutem acceptam & physicum concursum sonant.

Sed quæ illa verba? S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. *Si quæ (inquit) est in aqua gratia, non est ex natura; sed ex præsentia spiritus.* D. Chryostomus homilia 35. in Joannem: *Sed cum Spiritus Sancti susceperit gratiam (aqua) tunc omnia solvit peccata.* S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. *Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit & aquam consecraverit.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis aqua calefacta uritur; sic Spiritus Sancti operatione ad divinam aqua reformantur virtutem, quæ baptizantium abstergunt.* Plures locutiones similes aliorum Patrum vide apud Auctorem citatum n. 219. & sequentibus.

Verùm quis non videat has omnes convenientissimè accipi, ut nihil aliud velint, quàm materiam & formam Sacramentorum caulare gratiam, non per qualitatem (quæ vix vel ne vix quidem intelligibilis est) sibi inhaerentem; sed per virtutem divinam peculiariter ipsis præsentem & assistentem? Sic namque interpretatur verba Chryostomi D. Tho. 3. parte q. 73. art. 1. ad 2. *Sicut se habet virtus spiritus Sancti ad aquam Baptismi; ita se habet corpus Christi verum ad species panis & vini.* Atquæ præsentia corporis Christi non est productio alicujus qualitatis in speciebus, sed realis existentia & assistentia (ut suo loco explicabitur ex Scoto) ergo præsentia Spiritus Sancti ac virtutis ejus non est productio alicujus qualitatis in materia aut forma Sacramenti, sed invisibilis ejus operatio, sive physica causatio gratiæ ad præsentiam Sacramenti instar causæ moralis.

Neque quempiam moveat similitudo Cyrilli Alex. & illa D. Leonis ser. 4. de Nativitate,

Sacramentum reviviscens nequit concurrere physicè ratione virtutis à se relictæ.

Nequit dici illam virtutem esse characterem.

43. SS. Patres Sacramento actuali & reviviscenti eandem causalitatem tribuunt. S. Aug.

Autor serm. de passione Christi apud Cyprianum.

Conant Dicastillo eludere locum Augustini.

44. Et ex Patribus adstruere physicam operationem. S. Basilius. S. Chryostomus.

S. Ambrosius.

S. Cyrillus Alexandrinus.

Sed inest cecitas.

D. Thomæ.

45. Explicatio similitudinis allatæ a



Cyrillo Alexandrino & D. Leone.

nativitate, ibi: *Aqua Baptismi instar est uteri virginatis, eodem Spiritu replente fontem qui replevit & Virginem, ut peccatum quod ibi vacuavit conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Quis enim nesciat similitudinem semper habere adjunctam aliquam dissimilitudinem, ne potius sit identitas? Porro similitudo hic attenditur non in receptione, sed in indigentia virtutis alienae; sive non in modo cauſandi, est in substantia: ut quemadmodum aqua ex se non calefacit, sed ita si ab igne receperit calorem; & sicuti uterus virginalis indigebat virtute Altissimi & obumbratione Spiritus Sancti ut pareret Salvatorem; ita fons seu aqua baptismalis ex se nullam habet virtutem abtergendi baptizatum eumque regenerandi, sed ita, si Spiritus Sanctus ( ut loquitur Ecclesia in benedictione fontis ) aquam regenerandis hominibus preparatam arcana sui numinis admixtione, id est, speciali presentia & assistentia fecundat. Virtus quippe Altissimi ( inquit D. Leo ser. 5 de Nativitate cap. 5. ) & obumbratio Spiritus Sancti, qua fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, sed non eodem modo, ut regeneret unda credentem Aliud siquidem ( ait S. Aug. super Epistolam Joannis tract. 6 ) est aqua Sacramenti, aliud aqua que significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est, aqua Spiritus invisibilis: ista abluit corpus, & significat quod fit in anima, per illum Spiritum ista anima mundatur ac saginatur.

S. Leo.

S. Aug.

Trident.

46.

Si Spiritus Sanctus foret pars Sacramenti, optime conciperetur Sacramentum operari physicam gratiam. Sed non est communis acceptio vocis Sacramentum. Trident.

Physica igitur & efficiens causa gratiae solus Deus, qui ( juxta Trident. sess. 6. cap. 7. ) *gratiam abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae.* Si offeris Deum, sive Spiritum Sanctum promissum Sacramento esse partem Sacramenti; ut nuper quidam inquit: *Elementum, verbum & elemento admixtus Spiritus Sanctus sunt completum Sacramentum, optime intelligitur quomodo Sacramentum sit physica causa gratiae, non instrumentalis tantum, sed potius principalis.* Verum haec non est communis acceptio vocis Sacramentum, Trident. supra pro causa instrumentali assignante Baptismum, ibi: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio.* Et statim subiungit: *Demum unica formalis causa est iustitia Dei; non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit &c. iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult &c.* Et infra: *Id tamen in hac impij*

iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum &c. Ergo per Baptismum non intelligit Spiritum Sanctum, sed nudum elementum, & verbum quo tanquam instrumento morali Spiritus Sanctus partitur singulis suam iustitiam.

Dices, per Spiritum Sanctum non intelligi ipsam omnipotentiam divinam, sed qualitatem aliquam specialiter inditam elemento aut verbo ad physicè cauſandam gratiam, aut saltem motionem quamdam divinam, per quam Sacramenta eleventur, quemadmodum instrumenta ad opera artificia; ad quae ex se non habent sufficientem virtutem: vel certe potentiam obedientialem activam, per quam possint quilibet producere. Hi sunt tres modi, quibus Doctores nobis contrarij volunt ostendere possibilitatem causalitatis physicae Sacramentorum: sed quam inveniunt, quod solum assumplimus probandum, satis patebit ex singulorum refutatione.

In primis itaque dici nequit, quod Sacramentis indatur aliqua virtus, per quam physicè producant gratiam; nam si actus charitatis non possit producere gratiam, nec una gratia aliam ( ut docetur in materia de Iustificatione & Virtutibus Theologicis ) non est verisimile, quod aliqua alia qualitas id possit; nulla enim tantam habet proportionem, quam praedictae; videmus quippe in naturalibus actus producere habitum, & unum calorem alterum. Respondet quidpiam, etiam non implicare huiusmodi physicam efficientiam.

Quaero: ut quid ergo illam non tribuimus contritioni charitate perfecta, de qua ita pronuntiat Trident. sess. 14. cap. 4. *Docet praeterea, esse contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur &c.* An quia reconciliatio ipsi non adscribitur sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, ut ibidem subiungit Concilium? Sanè vel propter hoc solum ponenda esset causa physica; reconciliatio si iudem ( ut aliqui volunt ) tanquam vicaria Sacramenti, & Deus eam acceptat loco Sacramenti, eo quod de facto voluerit Sacramentum, vel eius desiderium esse medium necessarium; ita tamen, ut Sacramentum cauſaret cum sola attritione, desiderium autem Sacramenti non nisi cum contritione perfecta. Si ergo Sacramentum est causa physica; quare similiter non sit causa physica contritio perfecta, quae habet majorem proportionem cum effectu producendo? Adde, quod ante Sacramentum institutum

47.

Nequit Sacramentis ind. virtus, per quam physicè producant gratiam.

Trident.

**Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 2. 73**

institutum habuerit eandem vim, cum tamen tunc non includeret votum Sacramenti: & post Sacramentum institutum habet eandem vim in homine iusto, equidem sine ullo respectu ad Sacramentum.

48. Illa virtus se sola debet concurre, vel simul cum Sacramento, utriusliber procedat in sufficientia.

Arguo Secundò contra primum modum: Vel illa virtus seu qualitas sola proximè concurreret ad productionem gratiæ, & sic Sacramenta non essent nisi causæ morales, ac principia quod seu denominationis: vel ita ut etiam concurrat Sacramentum; quod dupliciter intelligi potest. Primò, ut ex istis duabus causis constituitur una totalis sufficiens ad productionem gratiæ, quod est absurdum; quia sic creatura esset causa principalis hostiæ justificationis, maxime in sententia eorum, qui volunt gratiam ex natura sua remittere peccatum: imò tunc Sacramenta non erunt instrumenta gratiæ, nec illa virtus, sed erunt duæ causæ principales partiales, sicut lumen gloriæ & intellectus respectu visionis beatificæ.

Secundò potest intelligi, quòd illa qualitas concurrat cum Sacramento tanquam causa insufficientis, quod etiam dici nequit; alioquin deberet per aliam virtutem elevari, & sic ibitur in infinitum, aut non debuit Sacramentum nisi à Deo immediatè elevari tanquam instrumentum, qui est modus secundus statim improbandus.

49. Illa virtus nequit dici corporea, neque spiritalis.

Argumentor Tertio: Illa qualitas vel est corporea, vel spiritalis: non corporea; quomodo enim corporea qualitas virtute sua naturali facere potest effectus spirituales, ut est gratia justificans, nisi fortè per potentiam obedientialem? ac illa similiter reperitur in Sacramento, adeoque qualitas illa superfluit. Non spiritalis, quia oporteret eam inherere subjecto corporeo, quod est contra naturam spiritalis qualitatæ.

His adijunge (si placet) improbationem Scoti, quam habes in principio conclusionis in responsione ad secundam questionem. *Ut quid enim toties generaretur &c. si tamen (inquit Doctor ibi) fiat altercatio propter auctoritates de isto vocabulo, virtus; potest dici, quòd virtus uno modo est ultimum de potentia: ultimum autem potentie signi practici, est quòd significat efficaciter, hoc est, praviè & certitudinaliter; nam non potest signo, in quantum practicum est, competere maior potentia. Tamen talis virtus potest concedi esse in Sacramento: sed ista non est aliqua forma absoluta, sed tantum relatio conformitatis signi ad signatum.*

50. Instrumenta artificialia.

Venio ad secundum modum, contra quem formo hoc argumentum: Instrumenta artificialia nihil producant, nisi ad

quod habent naturalem virtutem; quippe sive penicillus casu incidat in tabellam, ac securis in lignum, sive per homines aut alias causas ad hoc dispositas applicentur, pingent ac dividunt; ergo similiter Sacramenta nihil efficient; nisi ad quòd habent naturalem efficaciam ac proportionem, qualem non habent respectu gratiæ, quæ est nobilissimæ ac spiritualis entitatæ; Sacramenta autem ceremoniæ aliquæ corporales, tenuissimæ ac fluxæ.

cialis nihil producant, nisi ad quòd habent naturalem virtutem.

Deinde si (ut jam jam dixi) qualitas non sufficit ad huiusmodi gratiæ productionem, quomodo sufficit motus, qui multò est inferioris entitatæ? eadem siquidem, & majora argumenta recurrunt. Ut omitiam, quòd non possit intelligi, quis sit terminus huiusmodi motus: si enim dicatur esse gratia ipsa, quæ est effectus Sacramenti, jam inciditur in tertium modum explicandi, quem mox refellemus: si verò esse aliquid in Sacramento, recurrunt incommoda; quæ diximus sequi ex prætenso virtute Sacramentis indita; præterquam quòd Scot. 4. dist. 1. quest. 5. n. 10. dicat: *Valde improbable videtur, quòd aliqua forma toties causaretur in terra, quoties moveatur ab artifice: & toties desinat esse, quoties desinit actu moveri.*

Scit.

51.

Restat tertius modus, videlicet potentia obedientialis, ratione cujus Deus possit quilibet elevare ad quodlibet producendum; quæ, quia valde difficilis est & inconceptibilis, gratis omninò videtur asseri, nisi aliquid ad hoc nos cogat. Nec enim rectè philosophantur, qui sine gravibus rationibus quas nequeunt solvere, aliquid asserunt, quod communi conceptui & modo intelligendi videtur repugnare, ex solo utique argumento negativo, quòd ostendi implicantia contradictionis in illo non possit.

Concesso, Deum quidem per se posse facere, non sequitur etiam posse per creaturas.

Et quamvis concederemus hoc argumentum sufficere ad asserendum Deum posse aliquid per se facere; tamen inde non sequitur similiter esse dicendum, eum posse facere per creaturas omne id, ex cuius parte non potest ostendi contradictio; ob quam non possit fieri ab hac aut illa creatura. Ratio diversitatis est: quia creatura est limitata perfectionis, ideoque etsi ex parte effectus non sit defectus quin fieri hoc vel illo modo possit: tamen ex parte causæ hæc est defectus, ita ut hoc vel illud nullo modo facere possit. Etenim ut dicatur aliquid posse fieri per creaturam, necessarium est ostendere eam habere in se aliquam potentiam, saltem remotam ad hoc faciendū, quia

hæc debet supponi esse, ut possit à Deo elevari.

Ut res aliqua elevata physice producat aliam, debet vi activa sibi intrinsecè in illam influere.

Sanè ut res aliqua elevata à Deo verè physice aliam producat, non sufficit, quòd Deus ad ejus præsentiam aliam producat, sed necesse est, ut ipsa etiam tanquam causa partialis in rem illam influat per vim activam sibi intrinsecam, sicut intellectus per vim sibi connaturalem & intrinsecam influit in visionem beatificam, eamque ut causa partialis unà cum lumine gloriæ producit; nisi enim res elevata verè influat in effectum, non poterit dici hunc producere; & nisi habeat vim aliquam sibi intrinsecam activam aliquo modo proportionatam huic effectui, nequit intelligi quomodo in eum influat: nam actio non solum supponit agens esse, sed etiam habere vim agendi: adeoque sicut quod non est, nequit elevari ad agendum; sic nec id, quod nullam habet vim agendi, ad hoc elevari potest.

52. Vis agendi debet aliquo modo, saltem remote, esse proportionata effectui producendo.

Unde ulterius sequitur, non sufficere quamcumque vim agendi (nec enim quia frigus habet vim destruendi calorem, videtur esse aptum ut elevetur ad eum producendum) sed hæc debet aliquo modo saltem remote esse proportionata: ita ut ex se cum concursu generali possit producere aliquem effectum, qui habeat saltem aliquam analogiam cum effectui supernaturaliter producendo; ita ut ab eo tantum differat ut imperfectum à perfecto, idque vel intra eandem speciem, sicut calor ut duo à calore ut octo, vel ita ut effectus perfectior sit diversæ speciei ac altioris ordinis; sic tamen ut uterque sit aliqua ratione ejusdem generis, ratione ordinis, quem dicunt ad eandem potentiam: qualis analogia est inter cognitionem Dei naturalem & visionem beatificam.

Ratio illius.

Ratio est: quia cum illa res sit verè causa effectus, eum verè producendo, debet cum causa elevante ita constituere causam totalem, ut hanc in producendo adjuvet, sic ut si causa elevans sit finitæ virtutis; non possit sine altera effectum tam perfectum producere, aut saltem non cum tanta facilitate; ut patet in omnibus causis partialibus, quarum habemus ullam experientiam vel certam cognitionem.

Sive negatur, sive affirmetur potentia obedientialis, nil detrahatur divinæ potentie.

Sequitur secundo, sive negem sive affirmem potentiam obedientialem, propterea me nihil addere vel detr. here potentie divinæ, quam constat omni modo esse infinitam, nec ullâ ratione limitatam; sed

potentia creaturarum. Sicut qui fatetur Deum videre absolute omnia futura, plane nihil detrahit ejus scientiæ, dicendo illum non videre futurum illum palatium ex puro auro constructum, eo quòd tale nunquam futurum sit: quemadmodum etiam nihil ipsius scientiæ adderet, qui affirmaret hoc futurum, & ut tale videri à Deo.

Ex his factis patet non dari potentiam obedientialem cuilibet ad quodlibet: etenim quantitas v. g. nihil potest per se producere, quod habet talem analogiam cum gratia.

Dices: Hæc potentia non est talis, ut possit aliquid per se producere; sed essentialiter exigit singularem Dei concursum, ut possit exire in actum.

Sed contra Primò: quia oppositum videtur sequi ex dictis. Secundo: quia cum omnis potentia activa inclinet naturaliter in actum aliquem, exigit naturaliter omnia ea, quæ necessaria sunt, ut possit exire in actum; hinc omnis vis agendi exigit concursum generalem tanquam sibi connaturalem.

Unde sequitur, si detur in omnibus rebus potentia activa, quæ sine singulari Dei concursu non possit exire in actum, & cum eo possit, hunc concursum ei fore connaturalem, non minus ac concursum universalem, adeoque effectum fore naturalem, quia secundum exigentiam & inclinationem creaturæ, atque concursum fore potius ex natura rei universalem, quam particularem, quia rebus omnibus secundum naturalem earum inclinationem debitus erit.

His accedit Primò quòd secundum illam sententiam posset brutum elevari ad intelligendum & videndum Deum ipsam, quod absurdissimum est.

Respondent aliqui Primò, propositionem illam: Quidlibet potest à Deo elevari ad quodlibet producendum, intelligendam esse, nisi hoc implicet per illud produci: implicare autem brutum intelligere, quia sic esset rationale. Sed etsi dicta propositio ita intellecta, sit per se clara, nec possit negari; tamen nil facit ad præsens propositum; quippe non magis inde sequeretur sonum vel lotionem posse producere gratiam, quòd illi contendunt, quàm ejus contradictorium, aut quàm brutum posse intelligere: quare tunc restabit probandum illud non implicare contradictionem, dandaque erit ratio, cur corpori minus repugnet spiritus ac actio omnino spiritualis, quàm bruto repugnet rationale, ac imaginationi intel-

53. Non datur potentia obedientialis cuilibet ad quodlibet. Objectio.

In sententia opposita, brutum potest elevari ad intelligendum Deum.

54. Responso prima ad verfariorum.

Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 2. 75

intellectio : nam si communem sensum consulamus, imaginatio videtur magis proportionata intellectioni, quam sonus productioni gratiæ.

55. Respondo  
secunda.  
Respondent alij Secundò, posse quidem imaginationem bruti elevari ad producendam intellectiõnem, ejuſque oculum ad producendam visionem beatificam ( quia hoc necessariò ex illo principio sequitur ) non tamen brutum ideo intellecturum aut visurum Deum.

Sed contra est; quòd videre ac intelligere nihil sit aliud, quàm intellectiõnem ac visionem sibi inhærentes vitaliter producere: nec potest explicari, quid hîc aliud requiratur, quia hoc ipso quo potentia ita producit intellectiõnem, tendit per eam in rem intellectam, eamque sibi repræsentat.

Nec sufficit si dicas, imaginationem posse quidem producere intellectiõnem, non tamen eam in se recipere aut vitaliter producere; quia nulla ratio reddi potest, cur unum magis implicet, quàm alterum. Immo faciliùs intelligitur corporale posse in se recipere aliquid spirituale, quàm hoc producere. Et rursus, cum imaginatio sit potentia vitalis, nulla potest reddi ratio, cur si possit intellectiõnem sibi inhærentem producere, non possit id vitaliter facere, Deo singulariter concurrente.

Si respondeas, hoc repugnare ejus nature; similiter dicam repugnare rei corporali producere aut recipere in se aliquid spirituale.

56. Implicet  
oculum corporeum videre rem spiritualem.  
Accedit Secundò, quòd secundum communem sententiam implicet me oculo corporeo videre sonum aut rem merè spiritualem: ergo implicet corpus producere aliquid spirituale; quippe hoc videtur multò magis extra objectum potentia activæ corporalis, quàm spiritus sit extra objectum potentia visivæ oculi, que ratione animæ est aliquo modo spiritualis; & difficilius est producere rem spiritualement, quàm circa illam agere.

57. Implicet  
quolibet rem elevari ad quilibet in se recipiendam per modum subjecti.  
Tertio: implicat quamlibet rem elevari ad quilibet in se per modum subjecti recipiendam ( quis enim credat Angelum aut sonum dealbari posse? ) ergo implicat quilibet ad quodlibet producendum elevari, quia hoc illo difficilius est. Melius ergo putatur unaquæque res, sicuti est finita entitatis ac perfectionis, ita finita esse activitatis, & non participare nescio quam omnipotentiam.

58. His ita expeditis pro causalitate morali Sacramentorum, antequam concludam controversiam, quæro cum Doctore Subtili 4. d. 1. q. 5. n. 12. Qualiter cum hoc salvetur,

quòd Sacramenta sunt causa gratiæ, non tantum per accidens, & quòd per Sacramenta habeatur gratia, sicut Sancti loquuntur?

Respondedo cum Doctore: Dico (inquit) breviter, quòd omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non est ratio receptivi, potest dici quodammodo causa activa, sive causa instrumentalis respectu forme: ipsum autem Sacramentum, sive susceptio Sacramenti, est talis dispositio & immediata, non causans aliam mediam inter se & gratiam: ergo ipsa potest dici quodammodo causa activa vel instrumentalis respectu gratiæ. Majorem probat exemplo meritatorum, quæ sunt causa instrumentalis respectu præmij; quia hoc per illa acquiritur, & tamen non causant activè præmium in se, nec aliquam dispositionem præviam. Similiter per motum acquiritur terminus, & tamen motus non habet actionem aliquam ad causandum terminum, aut dispositionem intermediam, sed ipsemet est dispositio proxima ad terminum; haud equidem ratio receptivi.

Et idem est de Sacramento; quippe susceptio ejus (inquit Doctor supra n. 13.) est dispositio necessitans ad effectum signatum per Sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per quam necessario causaret terminum, vel aliquam dispositionem præviam: sed tantum per assistentiam Dei causantis illum effectum, non necessario absolute, sed necessitate recipientem potentiam ordinariam: disposuit enim universaliter, & de hoc Ecclesiam certificavit quòd suscipienti tale Sacramentum ipse conferret effectum signatum. Nec obstat, quòd susceptio Sacramenti est aliquid circa corpus ipsius suscipientis; gratia autem causatur in anima: quia sufficit, quòd dispositio & forma sine in eodem supposito, & maxime quando dispositio non est dispositio ex parte rei, sed in ordine ad agens voluntariè causans terminum: id est, quando non est dispositio physica, sed solum moralis; per quam distinctionem facile solvuntur illa, quæ objicit Suarez 3. parte tomo 3. disp. 9. sect. 2. contra hunc modum loquendi Scoti. Vide Commentarium R. P. F. Antonij Hiquæzi ad locum præfatum.

Solum nota malè Suarium supra confundere sententiam Doctoris, cum illa, quam tenet Durandus 4. dist. 1. q. 5. ubi docet Sacramenta esse conditiones sine quibus non, non verò causas. Vide quæ diximus in fine conclusionis primæ præsentis sectionis. Conditiones sine quibus non in Sacramentis sunt v.g. præsentia Parochi in Matrimonio ubi Trid. est receptum, consensus adulti in Baptismo &c. quippe in parvulis non requiritur consensus, ubi tamen invenitur causa gratiæ baptismalis. Similiter in locis ubi

Explicatio ex Scoto, qualiter Sacramentum sit vera causa gratiæ, & non tantum per accidens.

Scoti.

Hiquæzi.

59. Malè confunditur à Suario sententia Scoti cum Durand.

Trident. non obligat, subsistit contractus matrimonialis in absentia Parochi. Aliud est de externo consensu contrahentium, sine quo nullo casu confertur gratia Sacramenti Matrimonij, & qui infallibiliter, immediatè & partialiter cum præterita voluntate Christi movet Deum ad gratiam conferendam.

60.  
Sacramenta non causant physicè vel moraliter qualitatem dispositivam gratiæ, nec reddunt hominem immediatè Deo gratum.

Ex dictis colligitur, falsò asseri Sacramenta causare physicè vel moraliter qualitatem dispositivam gratiæ, aut hominem reddere immediatè Deo gratum. Prima pars probatur: quia nihil est quod ostendat talem causalitatem, adeoque videtur merè conficta ab his, qui tali modo conantur falsò persuadere causalitatem physicam Sacramentorum. Profectò si gratia possit conferri extra Sacramenta absque tali qualitate, cur non etiam per Sacramenta? deinde eadem est difficultas de productione huiusmodi qualitatis (ut notat Scot. in principio conclusionis citatus) quæ occurrit de immediata productione gratiæ.

Trident.

Quod attinet alterum modum loquendi, hic repugnat Trident. quod sess. 6. cap. 7. docet hominem justificari ac reddi gratum Deo per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, id est, per iustitiam sibi inherentem, quam infra assignat pro causa formali justificationis, idque pro unica, ibi: *Demùm unica formalis causa est iustitia Dei, non quæ ipse iustus est, sed quæ nos iustos facit* &c. Ergo Sacramentum, quod ibidem asseritur causa instrumentalis, constituit hominem Deo gratum mediante hæc formâ.

Sacramenta non concurrunt solum ad unionem gratiæ.

Si dicas, Sacramenta solum concurrere ad unionem gratiæ, jam contradicis eidem Concilio & SS. Patribus; quippe non solum dicunt Sacramenta efficere hominem Deo gratum, sed etiam gratiam conferre ac continere, eo scilicet modo, quo causa continet suum effectum; non autem ut locus locatum, vel totum partem, aut aliud quidpiam simile. Et certè etsi homo generans dicatur causare hominem, quia producit unionem; non dicitur tamen causare animam, aut eam continere continentia causæ physicæ.

Instas: saltem continentia causæ moralis. Transeat totum: verùm ad hanc impertinens est productio unionis; movetur siquidem Deus medijs dispositionibus, quas genitor ponit in materia, ut producat animam, quæ informet illud corpus dispositum & organizatum vel se solo, vel cum anima matris illam uniendo: neque hæc productio unionis gratiæ cum anima inventa est ab auctoribus suis ad salvandam

causalitatem morale, sed physicam.

Finio hanc controversiam, & infero minorem, quam hæctenus probavimus (fortitan pluribus quàm benignus lector velit, & res postulet) verbis Doctoris Subtilis, quæ habet 4. d. 1. q. 5. n. 9. *Non pater aliqua necessitas talis virtutis (physicæ nimirum) quæ fingitur in Sacramento, neque secundùm rationem naturalem manifestum est; neque secundùm fidem: quia sicut sequenti rationem naturalem non sunt ponenda plura, nisi quæ ratio naturalis concludit: ita sequenti fidem non sunt ponenda plura, quàm veritas fidei requirit. Veritas autem fidei non requirit ponere talem virtutem supernaturalem in aqua vel in verbis, nec aliqua ratio cogit ad istam pluralitatem.*

Tertia quæstio, quam hæc movent DD. Catholici est, an Sacramenta novæ Legis conferant omnibus æqualem gratiam? Et intelligi potest vel de Sacramentis diversæ speciei, ut Baptismo, Confirmatione &c. vel de Sacramentis solo numero differentiibus v. g. pluribus Baptismis. Ut autem ab ultimo incipiamus, non desunt inter antiquos Scholasticos, qui putârunt omnia Baptismata etiam in parvulis inæqualem producere gratiam. Fundamentum eorum est duplex. Primum quod putent homines non esse creatos nisi ad supplendum locum defectiorum Angelorum. Secundum, quòd existiment Angelos omnes sicut erant diversæ & inæqualis perfectionis entitativæ, ita inæquali gratiâ fuisse donatos, & ad inæqualem gloriam fuisse perventuros. Unde ulterius inferunt nullos homines habituros æqualem gloriam, adeoque nec parvulos æqualem gratiam in Baptismo; alioquin si contigisset illos statim mori, debuissent æquali gloriam donari. Pro hac sententia Regium q. 62. n. 47. citat Scotum 4. dist. 4. q. 7. a. 1.

Alij volunt (inquit Coninck supra n. 48.) quandoque ratione sanctitatis & devotionis ipsius ministri, uni in Sacramento conferri majorem gratiam, quàm alteri. Non quidem ita, ut hæc additio conferatur propriè virtute Sacramenti, sed quòd conferens Sacramentum eam suscipienti de congruo mereatur. Ita Scotus 4. dist. 4. q. 7. a. 3. Ratio est: quia putant etiam extra Sacramentum unum alteri posse mereri de congruo gratiam justificantem. Sed verisimile est Regium non legisse Scotum, sed Sotum 4. dist. 6. quæst. unicâ art. 6. ubi id Scoto falsò impingit, ut ostendo conclusionem sequenti.

CONCLUSIO III.

Sacramenta novæ Legis quæ solo numero differunt, semper quantum est ex se conferunt æqualem gratiam; quæ verò specie, inæqualem.

**V**Ltima pars est communis sensus Ecclesiæ, ex quo optimè cognoscitur, deficiente explicitâ revelatione, voluntas & institutio divina, quæ est fundamentum veritatis. Ratio aliqua assignari potest: quia sicut in physicis distinctæ species distinctam habent perfectionem essentialem, ut communius dicitur; ita impræsentiarum distincta specie Sacramenta distinctam videntur habere perfectionem Sacramentalem. Hinc Trident. sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Quidni ergo pro majori aut minori dignitate causent majorem vel minorem gratiam?

Porro maximè efficacia ab aliquibus asseruntur Sacramenta Ordinis ac Confirmationis, tum quòd per illa specialiter dicatur conferri Spiritus Sanctus, tum quòd exigant Ministrum cæteris digniorem, & insuper Ordo confertur ad præstantissima munia in Ecclesia Dei. Sequitur Baptismus, quia Sacramentum initerabile, per quod homo spiritualiter regeneratur; tum Eucharistia per quam homo spiritualiter nutritur ac roboratur: etenim plus substantiæ confertur per generationem, quàm per unam nutritionem. Deinde reliqua à Pœnitentiâ distincta; hoc enim Sacramentum cum sæpius repeti possit; & institutum videatur magis ad peccatum expellendum, quod mortem adiret, quàm ad vitam spiritualem conferendam vel augendam, apparet inter omnia esse minimè efficax.

Equidem alij non improbabiler Eucharistiam præferunt reliquis, cum sit Sacramentum longè dignissimum, utpote significans & continens Christum omnium gratiarum fontem & auctorem; & possent facile respondere, Sacramenta aliqua non posse repeti, & conferre Spiritum Sanctum, quia imprimunt characterem indelebilem, quæ est quedam potestas

spiritualis seu Spiritus Sancti. Interim omnia sunt incerta, cum non nitantur nisi probabili conjecturâ.

Dixi autem notanter in cõclusionione, *Quantum est ex se*; quia ex inæquali dispositione recipientium sæpe contingit ut Sacramentum minùs efficax æqualem vel etiam majorem gratiam producat, quàm aliud magis efficax; sed de hoc sectione sequenti. Casus itaque præcipuus conclusionis, & de quo dubitatur, est, an quando duo v. g. parvuli baptizantur; unus præcisè vi Sacramenti non accipiat majorem gratiam, quàm alter?

Responsio negativa est prima pars conclusionis, quam docet Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 7. n. 3. quem ex integro refero, ut omnes videant quàm immeritò citetur pro opinione affirmativa: sic ergo (inquit) ponendo unicum effectum Baptismi, scilicet gratiam, respondeo, quòd cum ad effectum Baptismi, scilicet gratiam concurrat causa principalis, scilicet Deus, & causa meritoria, ut passio Christi, & ipse suscipiens Baptismum: ex parte cuiuslibet istorum possit attendi æqualitas vel inæqualitas. Quantum ad Deum determinantem se cooperari isti signo per effectum significatum, & in hoc influentem istud signum in ratione signi certi, aliquo modo potest esse differentia, aliquo modo non. Aliquam enim gratiam disposuit regulariter conferre cum isto signo, ita quòd nulli minorem; & ista potest dici conferri virtute Baptismi, quia virtute veritatis huius signi; & sicut determinatio illa universalis quantum ad istum gradum est uniformis, ita effectus æqualis. Ecce in terminis nostra conclusio.

Pergit: Verumtamen, quia Deus prædestinavit diversos electos ad diversos gradus gloria, & hoc ante determinationem huius signi ad tantam vel tantam gratiam conferendam; & ordinato ad maiorem gloriam rationabiliter potest conferri maior gratia: potest Deus in determinando veritatem seu certitudinem huius signi disponere conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi, & alicui maiorem, quem prædestinavit ad maiorem gloriam; sed ille ulterior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia divinâ. Propter hoc dici potest, quòd ex parte causæ principalis, effectus est regulariter æqualis simpliciter, quæ datur virtute Baptismi: quia supponitur quòd de lege communi prima gratia non datur maior absque omni differentia extra causam principalem. Quid clarius? adstruit possibilitatem inæqualitatis ex parte causæ principalis, sed negat actum de lege communi.

62. Sacramenta specie differentia conferunt gratiam inæqualem.

Trident.

Ordo præminencia Sacramentorum inter se ad causam gratiam inæqualem ab aliis quibus asseruntur

63. Ab aliis rejiciantur.

64.

Sacramentum Baptismi præcisè non confert inæqualem gratiam parvulis. Scelus ab aliquibus pro opposita sententia citatus clare pro negativa vacat.

Eodem modo loquitur n. 4. de inæqualitate ex parte causæ meritorie, inquit: De secundo potest dici, quod illa causa meritoria potest efficacius operari ad gratiam in uno, quam in alio: vel quia specialius pro uno quantum ad intentionem offerentis, quam pro alio: vel quantum ad executionem pro uno oblata in effectu, pro alio non, nisi in pravi- sione divina. Primo modo Christus ponitur communiter nosse omnia quæ Deus novit scientiâ visionis, & per consequens novit omnes electos, & ad quem gradum gloria fuerunt electi. Potuit ergo pro prædestinato ad maiorem gloriam plenius offerre passionem suam, & præcipuè cum se offerret pro genere humano, ad hoc ut de eis impleretur divina prædesti- natio.

Secundo modo passio Christi efficacius coope- ratur pro nobis, qui sumus in lege Evangelica, quam pro Patribus in lege Moysi: quia obse- quium præstitum ad manus bonum retribuendum, magis acceptatur, quam beneficium præ- visum. Et illo secundo modo est inæqualitas in suscipiendis gratiam per Circumcisionem & Baptismum, propter inæqualem applicationem causæ meritoria ad istos: & forte etiam in baptizatis ante passionem, & post passionem. Si autem primo modo, scilicet propter specia- lem oblationem in voluntate Christi, sit inæ- qualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dubium est de facto: sed possibilitas est offen- sa. Hucusque Scotus. Igitur non facile quisquam credat Auctoribus citantibus Doctorem pro aliqua sententia, nisi verba textus legerit & expendit, ne in ipso obtineat, quod dicitur Eccli. 19. v. 4. Qui credit cito, levis corde est, & minorabi- tur.

Eccl. 19.

65.  
Male cita-  
tur Scotus  
pro senten-  
tia afferente  
parvulis con-  
ferri in-  
æqualem gra-  
tiam habi-  
tualem ra-  
tione devo-  
tionis mi-  
nistri &c.

Ex simili inconsideratione citatur Doctor supra pro sententia afferente par- vulis conferri inæqualem gratiam habi- tualem ratione devotionis ministri &c. Verba ejus sunt n. 5. De tertio dico, quod vel baptizati sunt parvuli vel adulti: compa- rando parvulum ad parvulum, cum nullum ha- beant motum proprium, nullam habent inæqua- litatem ad gratiam ex parte sui recipiendam. Potest tamen in parentibus unus esse maior motus, quam alterius pro suo parvulo; vel in aliquibus alijs ministrantibus vel assistentibus Baptismo: propter quorum merita Deus uni parvulo potest conferre (non asserit conferre) maiorem gratiam actualem, quam alteri; sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti; utriusque congrui. Unde subjungit: Et hoc modo for- tæ (ergo loquitur dubitativè) parentes B. Nicolai orationibus suis meruerunt sibi ma- iorem gratiam (scilicet actualem) quæ erat in eo etiam parvulo principium tam mirabilis

effectus, ut duobus diebus in hebdomada unicâ tantum lactatione contentus maneret.

His consonat D. Tho. 3. parte 1. q. 64. a. 1. ad 2. Effectus (inquit) Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum; aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem ministri. Et quo- ad hoc (ut rectè Scotus supra) magis op- tandum est puerum baptizari à bono sacerdote, quam à malo: quia orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante & post Baptismum, ma- gis exaudiuntur & valent illi pro quo fiunt, quam orationes mali. Hæc pro explicatio- ne Mentis Subtilis, quæ aliquibus per- functorie & subsultim legentibus, & mi- nus justo verba considerantibus, obscurior plerumque dicitur, quam à parte rei sit.

Nunc quod ad rem attinet, non plus apparet fundamenti ad statuendam hinc inæqualitatem, quam inæqualitatem præ- miorum pro æqualibus meritis. Nam in primis probitas ministri vel aliorum colla- tionis Sacramenti adstantium etsi juvare possit (ut jam ex Scoto diximus) ad men- dendum de congruo specialia auxilia gra- tiæ, quibus ille, qui suscipit Sacramen- tum, melius vivat impolterum, quam alius, qui suscipit à ministro indigno; aut etiam quibus se melius disponat ad Sacra- menti susceptionem, & sic majorem justi- ficationem accipiat; tamen certum est præ- ter Christum, neminem posse alteri im- mediatè gratiam habitualement (de qua sola loquitur conclusio) promereri; alioquin si valde multi intensè orarent pro aliquo dormiente vel amente, posset talis ex meri- to congruo aliorum quandoque evade- re in sanctissimum, & maximam accipere gloriam, si statim moretetur, sine ullo proprio actu, quod non est conforme dicto Apostoli 2. Cor. 5. v. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Imò nec ipse Christus alicui meruit de congruo vel condigno gratiam justificantem immedia- tè, sed ad summum ut eam acciperent per Sacramenta, si essent incapaces proprie dispositionis.

Alia quoque fundamenta contrariæ sententiæ in fine præcedentis conclusio- nis relata parùm habent probabilitatis. Unde enim constat, quod homines non fuissent creati aut salvati, si Angeli non peccassent? Certè contrarium docet Sco- tus 3. dist. 7. q. 3. n. 4. ibi: Potest dici, quod prius naturâ, quam aliquid prævidebatur circa peccatorem, sive de peccato, sive de pena. Deus

66.  
D. Thomæ.

67.  
Non appa-  
ret majus  
fundamen-  
tum ad sta-  
tuendam hinc  
inæqualita-  
tem, quam  
inæqualita-  
tem præ-  
miorum pro  
æqualibus  
meritis.

2. Cor. 5.

68.

Non con-  
stat homi-  
nes non fuis-  
se creandos  
vel salvan-  
dos, si An-  
geli non pec-  
cassent.  
Scotus.

**Secl. 4. De Causa. & effectu Sacram. Concl. 3. 79**

Deus praelegit ad illam curiam caelestem omnes quos voluit habere Angelos & homines in certis & determinatis gradibus, & nullus est praedestinatus tantum, quia alius praevius est casurus ut sic nullum oportere gaudere de lapsu alterius.

*7. Anselm.* Vnde (inquit D. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 18.) palam est, quia si etiam Angelus nullus perisset, homines tamen in caelestis civitate suum locum habuissent. Nisi quam enim (teste Apostolo ad Heb. 2. v. 16.) Deus Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit, insinuans homines praeter Angelis fuisse dilectos, adeoque non tantum per accidens, occasione lapsus Angelorum.

*69. Sine fundamento affectu omnes Angelos fuisse donatos inaequali gratia.*

*Magister sent.* Secundum fundamentum aequè infirmum est, quia sicut inter homines videmus Deum quandoque majorem gratiam impartiri eis, qui naturalia minus perfecta habent, ac etiam aliquos cum minoribus auxilijs gratiae ad majorem gloriam pervenire; unde constat non ita contigisse Angelis? Praeterea (inquit Magister 2. dist. 6. lit. A.) sciri oportet, quoniam sicut de maioribus & minoribus quidam perseverant, ita de utroque gradu quidam corrueverunt, inter quos unus fuit omnibus alijs cadentibus excellentior, nec inter stantes aliquis eo fuit dignior. Quis autem audeat credere aut dicere, ut perfectissimus angelus non caderet, in Dei potestate non fuisse? Cur ergo non fecit? Ut ostenderet, quod non oporteret eum conferre gratiam & gloriam secundum ordinem naturalem, ergo sine ratione asseritur Angelos omnes (etiam gratis admittà inaequali eorum perfectione entitativa) inaequali fuisse donatos gratia.

*8. August.* Accipe testimonium D. Aug. lib. 12. de Civit. cap. 9. Isti autem (Angeli) qui cum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cum à bono sponte defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus à bono: aut minorem acciperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perseverant: aut si utrique boni aequaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adveni ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.

*70. Argumenti Hinc ex Trident. sess. 6. cap. 7.* Praeter haec, aliud fundamentum excogitavit noster. Hicque in commentario suo ad dist. 4. q. 7. n. 7. ex his verbis Trident. sess. 6. cap. 7. Iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Ergo

supponit Concilium dari inaequalitatem gratiae baptismalis (de qua ibi agit) non solum ex inaequalitate dispositionis, sed etiam ex voluntate Spiritus.

Et confirmatur Primo: quia licet gratia Sacramentalis sit de lege communi determinata, id ita intelligendum est, quantum ad gradum infra quem non datur alia minor virtute Sacramenti, non tamen quantum ad excessum; ut patet in adulto, qui secundum excessum dispositionis accipit majorem gratiam, etiam virtute Sacramenti. Quod autem in adulto est dispositio, in parvulo est major acceptatio, quae ordinatur ad perfectiorem gradum gratiae & gloriae. Porro quod illa gratia conferatur per hoc vel illud medium providentiae divinae; postea est, maxime cum Sacramentum possit inaequalitate ex parte subjecti, non limitetur ad gradum aequalem effectus; imò magis videtur praeter divinam providentiam ordinariam, ut Deus, suspendendo concursum causarum naturalium, perducatur infantem ad eum statum, quo possit attingere gradum gratiae destinatum, sive per frequentationem Sacramentorum, sive per actus proprios, quam ut per ipsa Sacramenta recepta uberiorem gratiam conferat; quia sic operatur per media ordinaria, quae ex de alioquin ex inaequali dispositione subjecti habent efficaciam majorem vel minorem.

*71. Et Confirmatio ejusdem primò.*

Confirmatur Secundo: quia quantum ad alios effectus concomitantes, ut, extinctionem aut diminutionem fontis, auxilia gratiae, & gratias gratis datas, inaequalis est effectus Sacramenti, etiam in infantibus: ergo etiam perinde dici potest de gratia gratiam faciente. Patet consequentia: quia dare hos effectus mediante Sacramento, qui regulariter per ipsum non conferuntur, videtur magis extraordinarium, quam quod effectus ordinarius ejus, detur intensior aut perfectior. Ita hic Auctor; sed appensus in latera inventus est minus habens.

*72. Et secundò.*

Omnes quidem fatentur gratiam etiam baptismalem, & respectu parvulorum mensurandam ex voluntate Spiritus Sancti; at negant Spiritum Sanctum de facto parvulis mensurare diversam gratiam per eam numero Sacramentum; cum neque Scriptura, neque ullum Concilium talem diversam mensuram vel leviter insinuet. Sicut ergo supposita eadem dispositione, Spiritus Sanctus per eadem Sacramentum adultis non confert diversam mensuram gratiae, sed vult conferre secundum eandem;

*73. Dissolvuntur.*



dem; secus per diversa Sacramenta, aut secundum distinctam dispositionem; ita pariter parvulis incapacibus dispositionis semper eandem per idem Sacramentum, distinctam autem per diversa Sacramenta. Cumque à voluntate Spiritus Sancti dependeat ut tanta vel tanta gratia, per hoc vel illud Sacramentum specie distinctum efficiatur, rectè Concilium posuit duplicem causam diversitatis, scilicet voluntatem Spiritus, & dispositionem hominis. Adde quod potuisset ( ut diximus cum Scoto ) etiam diversam gratiam causare cum uno & eodem Sacramento; adeoque quia vult, confert eandem, accommodans se naturis rerum; agunt siquidem Sacramenta instar causarum naturalium, quæ ex se ac cæteris paribus semper causant æqualem effectum.

Ex quo patet responsio ad confirmationes. Ad secundam, quia uni Sacramento accedit meritum congruum gratiæ actualis, illo autem secluso, virtute solius Sacramenti unus parvulus non recipiet plura vel diversa auxilia: ut enim infra dicitur, Sacramenta conferunt auxilia specialia cum eadem proportione æqualitatis vel inæqualitatis, quæ gratiam habitualem.

Prima confirmatio ponit quidem aliquam diversitatem ex parte parvulorum, sed gratis asserit illam de facto esse causam majoris vel minoris gratiæ; sic quippe Concil. Trident. non duas tantummodò debuisse assignare causas, ex quibus possit crescere gratia, sed tres; nimirum voluntatem Spiritus Sancti, dispositionem adulti & electionem ad gloriam; quod tamen non facit.

Quod autem addit, perinde esse per quod medium divinæ providentiæ gratia conferatur, verissimum est; at deficit in probando, de facto Sacramentum esse medium institutum ad conferendam majorem gratiam ei, qui ad majorem gloriam electus est. Non dubito de possibilitate, & si ita fuisset institutum, etiam ille excessus significaretur per Sacramentum, non quidem omnino determinatè, sed in genere, significando gratiam, quam Deus voluerit per tale signum dare: non enim Baptismus v. g. est signum hominibus tantæ vel tantæ gratiæ in particulari, sed cujuscumque gratiæ remissivæ peccati originalis, sive majoris, sive minoris intensiois.

Et ita intelligendus est Scoto, quando supra dicit illum excessum tali casu conferendum ex speciali benevolentia divinæ

quia nempe Sacramentum, ut habet efficaciam infallibilem gratiæ ex voluntate universali, non extenditur ejus virtus aut significatio ultra illum gradum minimum; at verò ut subesset voluntati speciali Dei, causaret illum gradum excedentem, etiam ex opere operato.

Neque hinc sequitur, Deum per meritum æquale posse conferre inæqualem gratiam vel gloriam; quia inter meritum ex una parte, & gratiam & gloriam ex altera, datur proportio secundum medium justitiæ; Sacramentum autem operatur ex mera liberalitate insipientis, & independenter à merito ac dispositione infantis. Vide plura apud Auctorem præcitatum, non ut probetur factum, sed ut ostendatur quod possibilis non deroget aut meritis, aut Sacramento, aut Dei providentiæ.

Joannes Poncius Summæ Theologiæ disp. 41. q. 10. §. 84. inquit: An ministri bonitas non conferat ad majorem efficaciam, non volo determinare, quia non habeo principia sufficientia ad id concludendum; sed nec occurrit aliquid in oppositum. Patres, Chrysostomus, Aug. & alios explicat, quod loquantur de fructu Sacramenti quoad substantiam, qui non dependet à ministri bonitate. Verum enim verò cui hæcenus revelatum fuit, quod bonitas ministri conferat aliquod augmentum gratiæ? vel si ita est; quomodo verè dixit Chryf. homil. de Reditu suo de Asia: *Multi me absente baptizati sunt, & quid tunc? Nihil minus habet gratia.* An fors augmentum gratiæ nihil est? Cum itaque & substantia & augmentum in gratiæ pendeant à libera voluntate Dei, nullum habere sufficiens fundamentum concludendi, est habere aliquid in oppositum, imò sufficiens principium negandi.

Hæc de primario effectu Sacramentorum, gratiæ scilicet habitualis; præterquam enim quod sit nobilissima qualitas, per quam efficiuntur divinæ confortes naturæ ( ut docet Apostolus Petrus Epistolæ 2. cap. 1. ) eadem realiter cum charitate in sententia Doct. Subtilis; insuper per ordinem ad illam solam Sacramentum definitur, ut proinde videatur etiam principaliter in omnibus Sacramentis intentam; indistincta quidem specie physicâ, moraliter tamen distincta propter diversos effectus, quos causat in anima, qui etiam magis propriè significantur per signa externa Sacramentalia, ne solum materialiter, sed etiam formaliter ratione suæ significationis Sacramenta inter se distinguantur.

Ita

74.  
Sine fundamento dicit Poncius le non habere principia sufficientia ad concludendum, ministri bonitatem non conferre ad majorem efficaciam.

s. Chryf.

**Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 4. 81**

*76.* Ita docet Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 23. ad ultimum ibi: *Dico ergo ad maiorem, quod Sacramentum magis proprie significat illum effectum in anima. ad quem conseritur gratia in Sacramento, quam significet ipsam gratiam. Unde gratia existente una in anima, Sacramenta tamen diversa distinguuntur per diversa significata propria, quae sunt diversi effectus eiusdem gratiae.* Quia autem hoc intellectu difficile est, tum propter nimiam diversitatem effectuum, puta regenerationis in Baptismo, nutritionis in Eucharistia, abolitionis in Pœnitentia &c. tum quia habitus supernaturales non faciunt ad operandum; adeoque non juvant ad resistendum tentationibus aut promptius operandum; hinc communis consensus Doctôrum singulis Sacramentis attribuit particularem quemdam, sed secundarium effectum, quem jam explicô.

**CONCLUSIO IV.**

**Singula Sacramenta præter gratiam habitualement conferunt auxilia quædam specialia, quibus homo iuuetur ad cuiusque finem obtinendum, cum eadem proportione æqualitatis vel inæqualitatis, quâ gratiam habitualement.**

*76.* **P**robatur: quia alioquin frustra plura essent instituta Sacramenta; posset quippe augmentum gratiæ haberi per frequentem repetitionem eiusdem Sacramenti, v.g. Communionis, per quam probabile est plus gratiæ habitualis conferri, quàm per alia Sacramenta.

*Conclusio probatur ex Patribus.* Confirmatur ex Patribus, qui docent Sacramentum Matrimonij & Ordinis esse institutum ut per gratiam eiusmodi Sacramentorum onera Ecclesiasticæ præfecturæ, & conjugij sustineri possint, mutuus amor & mutua fides seruari, & proles ritè educari. Similiter Confirmationem esse institutam ad dandam gratiam, quâ constanter, ubi necesse fuerit, fidem profiteamur & persecutiones patiamur: non quòd huiusmodi auxilia divina sine Sacramentis aut eorum voto non possint haberi (constat siquidem Confirmationem non esse in præcepto, & tamen aliquos sine ea ac eius

voto per ferventes preces huiusmodi auxilia obtinuisse) sed quòd per Sacramenta facilius & certius obtineantur.

Hæc autem doctrina Patrum non subsistit, nisi aliquid concedatur per aliqua Sacramenta, quod non per alia; sine fundamento autem asseritur illud esse habituale: ergo ut illa Sacramenta consequantur fines suos, opus est actualibus auxilijs.

Porro idem credendum est de alijs Sacramentis, v. g. Baptismo, qui per se institutus est ad spiritualem regenerationem, seu ad gratiam sanctificantem simpliciter primam: credendum (inquam) quòd per eum etiam conferantur auxilia quædam spiritualia, quibus in ea vitæ novitate persistamus, ac mandata Christi servemus, cuius fidei professio fit in Baptismo; ac denique quibus alia Sacramenta dignè suscipiamus, cum sit janua cæterorum. Similiter per Sacramentum Pœnitentiæ verisimile est dari aliquod speciale auxilium ad efficacius detestandum peccata, & satisfaciendum pro commissis: quia institutum est per se ad gratiam non simpliciter, sed post lapsum primam; seu per modum non generationis, sed resurrectionis spiritualis, ac curationis à lethali peccato: unde Patres vocant illud secundam post naufragium tabulam. Extrema etiam Unctio, cum sit instituta ad reliquias peccatorum abstergendas, & ad conferendum robur in extrema illa luctu, & spiritualem alacritatem; existimandum est, quòd conferat auxilia ad huiusmodi effectus. Eucharistia denique, quæ instituta est per modum nutrimenti spiritualis, præstat auxilia per quæ præservemur à morte spirituali seu mortali peccato, ac spiritualiter recreemur & confortemur, atque Christo per actus charitatis ac devotionis uniamur.

*78.* Itaque auxilia illa actualia sunt rectæ & sanctæ cogitationes motusve subiti voluntatis ad specialem finem singulorum Sacramentorum à Deo immissi. Et ratione illorum, sive propter specialem ordinem congruitatis ad illa, gratia habitualis, quæ confertur in Sacramento & vocari solet sacramentalis, distinguitur moraliter à gratia communiter dicta, sive quæ confertur extra Sacramentum per bona opera.

Majorem distinctionem neque ratio, neque auctoritas exigit; adeoque minimè asserenda, maxime in sententia Scoti, quæ non agnoscit habitus supernaturales per se infusos præter Fidem, Spem & Charitatem. Sicut ergo Fides & Spes Sacramentalis, (ut

L sic lo-

fic loquar) à nemine specie physicâ distinguntur à Fide & Spe extra Sacramentum infusis; ita neque Charitas, quæ identificatur gratiæ habituali, distingui debet.

79.  
Quæcumque  
Gratia habi-  
tuali exigit  
aliqua auxi-  
lia ad resi-  
stendum  
tentationi-  
bus & bene  
operandum.  
Tridentinum.

Et quidem quæcumque gratia habitualis exigit aliqua auxilia, sive gratias prævenientes ad resistendum tentationibus & bene operandum. Deus namque (loquitur Trident. sess. 6. cap. 11.) suâ gratiâ actuali semel infusis non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Rationem præmiserat: Quo (inquiens) sit, ut iusti ipsi eò magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quò liberati iam à peccato, servi autem & amici facti Deo, sobriè, iuste & piè viventes proficere possint per Christum Iesum, qui diligentes se diligit, ditans eos specialibus favoribus & auxilijs, quibuscumque facilius possint, si velint, mandata Dei servare; id quippe maximè consentaneum est legibus amicitiae, ut amicus juxta voluntatem amici operetur.

Quapropter Trident. supra can. 18. specialiter definit, Dei præcepta homini iustificato & sub gratia constituto esse ad observandum possibilis. Quis ergo miretur, si amicitia seu gratia sacramentalis præter illa auxilia communia de congruo postulet specialiora, quibus obtineatur finis à Christo per Sacramentum specialiter intentus? Siquidem ad hoc Christus in particulari sua merita applicavit. Quemadmodum inter homines, si subditus aliquis meruit amicitiam principis obsequijs spectantibus ad certam materiam, si in illa est locus præmio, par est ut in illa obtineat; v. g. si servit in rebus Indicis, ut in India accipiat aliquod officium, maximè si fuerit promissum.

Ex quo apparet longè aliter gratiam sacramentalem exigere illa auxilia, quam lignum aut lapidem, ad quorum præsentiam Deus illa daret; sic etenim gratia extrinsecè connotat illa auxilia dependenter à decreto Dei, ut tamen sit radix congrua, cujus intuitu conferantur in tali materia; & ideo dicuntur dari mediante gratiâ, & juxta ejus proportionem, ut habet secunda pars conclusionis, quæ non indiget aliâ probatione.

80.  
Verisimili-  
ter intuitu  
Sacramenti  
ininterabilis  
dantur, oc-  
currence,  
per totam  
vitam auxi-  
lia; non sic

Solum nota, verisimile esse intuitu Sacramenti ininterabilis dari auxilia gratiæ per totam vitam cum occasio occurrit; ratione verò aliorum, v. g. Pœnitentiæ vel Communionis non; sed certum numerum; cum enim instituta sint ut repetantur, sufficiebat singulis vicibus singula auxilia determinari. De tempore,

quo hæc auxilia conferuntur, dicam in fine Sectionis; prius explicò alterum effectum secundarium, qui ab Ecclesia vocatur Character. Circa quem quaeritur Primò, in quibus Sacramentis imprimatur? Relolutio erit

## CONCLUSIO V.

Fidei est Baptismus, Confirmationem & Ordinem imprimere characterem; quamquam hoc ipsum neque experientiâ vel ratione, neque auctoritate Scripturæ aut Sanctorum Patrum evidenter necessariò possit probari.

81.  
Vocabulum  
Character  
apud Graecos  
idem est  
quod apud  
Latinos fi-  
gura.  
Scotus.

Suppono ex Scoto 4. dist. 6. q. 9. n. 2. vocabulum Character apud Græcos idem valere, quod apud Latinos figura: Et sic (inquit) accipitur ad Heb. 1. ubi nos habemus, figura substantiæ, ponitur character in græco: & hoc modo dicimus characteres, figuras, quibus littera scribuntur: & hoc modo dicimus characteres in incantationibus, & huiusmodi quasdam figuras protractas: & hoc modo accipitur in Apocalypsi character bestiae, figura in fronte vel in manu, quæ significat ipsam pertinere ad familiam bestiae. Generalius autem accipitur character pro signo; & hoc modo Baptismus potest dici character, quia signum quoddam est. Forma etiam verborum in Sacramento aliquo potest dici character, sicut Magister loquitur in ista distinctione. Sed his omnibus prætermisus, de characterè, ut loquimur in proposito, Theologi concipiunt communiter per characterem quoddam spirituale impressum à Deo suscipienti Sacramento non iterabile. Hæc Doctor Subtilis de ratione nominis.

81.  
Prima pars  
conclusio-  
nis est Flo-  
rentini &  
Tridentini.

Quæ cognitâ, nefas est Catholico dubitare de prima parte conclusionis post Florentinum & Tridentinum: illud siquidem in Decreto Unionis sic definit: Inter hæc sacramenta tria sunt Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum à cæteris distinctum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur: reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Hoc verò sessione 7. canone 9. damnat errorem contrarium, qui à Waldensibus Tom. 2. doctrinalis fidei cap. 109. adscribitur

Sect. 4. De Causa l. 6. effectu Sacram. Concl. 5. 83

describitur Joanni Wiclef, quem unanimiter sequuntur nostri temporis heretici: non quod fundamentum aliquod habeant, sed quod more suo totam antiquitatis doctrinam derideant; & quia (ut scriptum reliquit B. Judas in sua Canonica, v. 10.)

Quicumque ignorant, blasphemant. Damnat (inquam) his verbis: Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

Eandem veritatem per traditionem ab initio Ecclesie acceptam expressit ante Florentinum Innocentius III. in cap. Majores de Baptismo, ut docet Scot. supra n. 14. ibi: Breviter, sicut habetur extra de hereticis, Ad abolendam, sententium est de Sacramento Ecclesie, sicut sentit Romana Ecclesia. Romana autem Ecclesia videtur sentire characterem imprimi in anima in Baptismo, sicut dicit Innocentius III. extra de Baptismo & eius effectu, c. Majores: Qui fide accedit ad Baptisimum, characterem suscipit Christianitatis impressum. Et ibidem in fine: Tunc characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstantem. Et si prima auctoritas posset exponi vocando characterem Christianitatis ipsum Baptisimum; tamen secunda qua dicit, quod sacramentalis operatio imprimi characterem, videtur expresse loqui de characterem, tanquam de aliquo impresso ipsi anima, sicut loquimur in proposito. Propter ergo solam auctoritatem Ecclesie, quantum occurrit ad presens, est ponendum, characterem imprimi.

Falso ergo Prapositionis q. 63, art. 1. n. 1. Scotus (inquam) videtur existimare, sententiam, qua asserit per aliqua Sacramenta imprimi characterem, solum esse probabilem. Quasi vero omne illud solum sit probabile, quod non est evidenter necessarium. Equidem facile crediderim, eum non existimasse hoc esse articulum fidei; quia videlicet non satis expresse suo tempore ab Ecclesia definitum; neque enim de eo erat questio in capite Majores citato, sed solum, an imprimeretur character in Baptismo per violentiam suscepto: unde non definit, sed supponit Pontifex imprimi characterem in valido Baptismo.

Verius intellexit Doctorem Subtilem Doctissimus P. Suarez, qui disp. 1. sect. 1. postquam recensuisset testimonia SS. Patrum pro impressione characteris, subjungit: Quoniam vero haec omnia testimonia non videntur cogere; ideo Scotus dist. 6.

q. 9. dicit facile exponi posse, ipsum Sacramentum Baptismi v. g. esse characterem; & ideo concludit sola auctoritate Ecclesie nos cogi ad ponendum characterem: sed quamvis verum sit Ecclesie auctoritatem habere praecipuas partes in hoc negotio, tamen ea supposita intelligimus mentem Sanctorum fuisse in eadem significatione de characterem loqui, & sine dubio multa ex dictis Sanctorum melius praedicto modo intelliguntur.

Suarium sequitur Dicastillo Tract. 1. Et Dicastillo. disp. 2. dub. 14. n. 425. Quamvis (inquam) Scotus dicat hanc veritatem non posse probari aliquo manifesto Scripturae testimonio; simul tamen concedit, Ecclesiastica traditione id esse omnino certum. Ita est genuina mens Doctoris Subtilis. Utinam Dicastillo ubique ita eum legisset & intellexisset!

Itaque secundam partem conclusionis his verbis exprimit Scotus supra n. 13. Ad questionem potest dici aliter, quod licet characterem inesse animae non possit probari per rationem naturalem, neque in universali; quod scilicet necesse sit dare talem formam inesse animae propter quid, nec etiam propter finem; neque in particulari ut per experientiam alii cuius actus, seu per conditiones actus manifestantes talem formam inesse ipsi agenti percipienti actum suum; sicut nec probari potest de gratia vel charitate; licet etiam ex creditis manifeste, sive que sunt explicitae de substantia fidei, sive que continentur in Scriptura, sive qua manifeste per sanctos sunt elicitae ex creditis non possit probari, scilicet evidenter, quia non apparet necessaria habitudo eius ad talia credita: tamen poni potest, quia non repugnat ipsi animae talem formam habere, qualis describitur character, nec per consequens repugnat Deo posse animae talem formam imprimere.

Hic lapis offensionis & petra scandali, sed ipsi dumtaxat, qui limis & obstipis oculis Doctorem inspicunt; his (inquam) qui soli sapiunt, & quibus reliqui volitant sicut umbrae. Si penitus verba mox allegata introspicere vellent, facile inveniunt, Scotum nullatenus negare voluisse omnem omnino probationem Catholicae veritatis ex Scriptura aut SS. Patribus, sed solummodo evidentem & necessariam.

Quocirca continuo subjungit: Sed ne omnino frustra & sine necessitate ponatur, oportet aliquam auctoritatem habere, cui innitatur, qui ponit eam. Inter auctoritates autem Sanctorum secundum istam significationem characteris, de qua loquimur, non videntur multa

Et Dicastillo.

84. Textus Scoti quoad secundam partem conclusionis.

85.

Scotus solum negavit evidentem & necessariam probationem ex Scriptura aut Patribus.

82. Quam per traditionem ab initio Ecclesie acceptam expressit Innocentius III. Scotus.

83. Scotus a Prapositione male intelledus.

Melius a Suarez.

Authoritates à Scoto adductæ ex S. August.

authoritates expressa: tamen aliqua allegantur non concludentes (supple, necessariò evidenter) ex Aug. de Baptismo contra Donatistas lib. 6. cap. 1. ibi: Satis eluxit pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij auctoritate originalis consuetudo firmata est, & ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem; ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea agnoscì potiùs quàm improbari; quandoquidem ipsum characterem multi & lupi & lupis insigunt, qui videntur quidem intus esse &c. Ibidem etiam lib. 1. cap. 1. & habetur de consec. dist. 4. c. Ostenditur Sacramentum Baptismi est, quod habet, qui baptizatur: & Sacramentum dandi Baptismum est, quod habet, qui ordinatur sicut autem baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismum non amittit.

Addere possumus, quod habet Epistolâ 44. alloquens hæreticos Donatistas: Vos (inquit) oves Christi estis, quia characterem dominicum portatis, sed erratis & peritis. Et Epistolâ 50. docens hæreticos penitentes non reprobandos, rationem reddit: Quia in eis hoc ipso quòd semel baptizati sunt, semper dominicus character agnoscitur.

Characterem quoque Confirmationis exprimit lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104. ibi: Et in hoc unguento Sacramentum Christianitatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis &c.

86. Nec defunt Scripturæ, quæ veritatem hanc insinuant. Ad Ephes. 1. cap. v. 13. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Et cap. 4. vers. 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis; id est, in die Baptismi, ut exponunt OEcumenius & Haymo in illum locum.

Confirmationis character indicatur 2. Corinth. 1. vers. 21. & 22. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Signavit nos (inquit S. Hieronymus) Spiritu Sancto vel chrismate.

Pro caractere Ordinis plerique addu-

cunt illud 1. ad Timoth. 4. vers. 14. Noli tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij, Per prophetiam, id est, ex prophetia seu inspiratione Spiritus Sancti mihi facta, quæ sciebam te Ecclesiæ utilem futurum, ut exponunt Glossa ordinaria, Lyranus & Ambrosius in eum locum. Videtur enim ibi Apostolus per gratiam, non intelligere sanctificantem, sed characterem.

Sed quis non videat has auctoritates haud evidenter necessariò probare? Scripturæ siquidem exponi faciliè possent de gratia sanctificante, quam Trident. sess. 6. cap. 7. vocat Spiritum promissionis Sanctum, ibi: Efficiens verò (causa justificationis) misericors Deus, qui gratiò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Et de hac gratia intelligunt locum Apostoli 2. Corinth. 1. Chryostomus, OEcumenius & alij. Quamvis autem non omnes eam recipiant in susceptione Sacramenti, tamen ipsum Sacramentum quantum est ex se; natum est illam conferre, quod sufficit.

Porro ad auctoritates D. August. quæ sunt præcipuæ, respondet Doctor in hunc modum supra num. 14. In ista auctoritate pluries nominat characterem; sed apparet quòd nihil ad propositum secundum significationem characteris, de qua loquimur: quia dicit, quòd lupi lupis insigunt characterem: quòd magis salvatur de Sacramento Baptismi, quam de aliquo effectu in anima. Unde ubique in illa auctoritate potest character bene ad intentionem eius accipi pro Baptismo, non effectu Baptismi; sicut dictum est prius, Magistrum accipere characterem in ista definitione pro forma Baptismi.

Herculè (ut appositè notat supra q. 7. num. 2.) Si fuisset multum de hoc tractatum à Sanctis, Magister sententiarum mentionem fecisset de ipso: non invenitur autem aliquod verbum dixisse de caractere secundum istam significationem, secundum quam utimur eo: in toto enim tractatu de Baptismo non nominat characterem, nisi semel in primo capite istius distinctionis in fine, dicens: Qui ab hæreticis baptizati sunt, servato caractere Christi, rebaptizandi non sunt: ubi vocatur character Christi, forma Baptismi Christi; sicut satis apparet ex auctoritate August. præmissa, ex qua Magister inserit istud dictum. Sed quæ illa auctoritas Augusti Epistolâ 203. ad Max. sic inquit: Quamvis unum sit Baptisma & hæreticorum, scilicet eorum, qui in nomine

87. Quæ tamen non necessariò & evidenter convincunt. Trident.

Prout nec Augustini, ut rectè Scotus.

88.

S. August. PATRIS

Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 5. 83

Patris & Filij & Spiritus Sancti baptizant, & Ecclesie Catholica: qui tamen foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem Baptismum, sed ad perniciem: habentes formam Sacramenti, virtutem autem eius abnegantes; & ideo Ecclesia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, & ipsa est forma Sacramenti. Quid clarius?

Omitto auctoritates D. Damasceni, quarum una (teste Scoto supra n. 7.) Valde ineptè adducitur, quia pars unius orationis coniungitur cum parte alterius, pratermissa sententiâ concipiendâ cum parte precedente. Altera autem nihil valet: nam expressè ibi loquitur de Cruce. Vide Doctorem loco citato: non enim libet illis immorari, cum clarum & certum sit, nec unam nec alteram evidentè necessariâ probare; quod satis est ad veritatem secundæ partis conclusionis.

89. Ratio & experientia nõ convincunt necessitatem characteris;

Uñ nec nõ iterabilis.

Enimverò quod attinet experientiam & rationem, non reor quempiam tam stolidum, ut putet vel ex hac vel ex illa, se posse convincere necessitatem characteris; cum uti institutio, ita & omnis efficacia, & quicumque effectus Sacramentorum pendeat à libera ac gratuita Dei voluntate; quemadmodum etiam iterabilitas & iterabilitas. Unde ex non-iterabilitate haud rectè infertur impressio characteris; nam etiam prima Tonfura iterari non potest, & tamen non propterea imprimi characterem.

Nec satisfacis, si respondeas, Ecclesiam posse statuere iterabilitatem primæ Tonfuræ: quis enim ligavit manum sive voluntatem divinam; quò minus poterit ita statuisse immutabilitatem potestatis, v. g. Sacerdotalis, ut qui semel eam accepisset, numquam eam perderet, etiamsi Sacramentum Ordinis non imprimeret characterem? Nonne Ecclesia de facto nequit facere, quòd oleum semel benedictum ab Episcopo ad materiam essentialem Sacramenti, non permaneat benedictum? Et tamen per benedictionem non imprimitur character, vel quidquam aliud. Cur ergò Deus non potuisset facere, ut Ecclesia nunquam validè iteraret Ordinationem Sacerdotis; aut eum, qui semel est Sacerdos, redderet laicum, tamen Sacramentum Ordinis nullum imprimeret characterem?

90. Non est repugnantia Sacramenti iterabilis cum impressione characteris.

Accedit, quòd nulla sit absoluta repugnantia iterabilis Sacramenti cum impressione characteris. Ostendo ex Scoto supra q. 9. n. 21. ibi: Dico ergo, quòd concedi potest de Circumcisione, quòd ibi imprimatur character aliquis, sicut in Baptismo: ita enim erat

prima ianua salutis in lege Mosaica, sicut Baptismus in nova. Et cum arguitur, quòd tunc circumcisus non esset baptizandus, nego consequentiam. Ad probationem potest concedi, quòd character ille esset eiusdem rationis cum characterè Baptismatis vel alterius. Quòd si eiusdem, vel non imprimebatur character per Baptismum susceptum à circumciso, sicut in subiectum habens aliquam formam non imprimitur iterum talis forma, etiam à causa, quæ aliàs nata esset imprimere talem formam; & hoc ideo, quia subiectum non est in potentia, sed iam in actu secundum illam: vel si imprimeretur in baptizato alius eiusdem rationis, nihil inconveniens, saltem si character ponatur relatio: vel posset dici illum characterem Circumcisionis differre ab illo Baptismi, sicut imperfectum à perfecto, quemadmodum gratia huius differt à gratia illius: & tunc in susceptione Baptismi, prius circumciso non imprimeretur novus character, sed primus perficeretur. Quidni igitur ex mente Doct. Subtilis Deus poterit decernere, ut secundus Baptismus vel nullum characterem imprimeret, vel talem, per quem perficeretur character in primo Baptismo impressus; quemadmodum gratia habitualis in secundo Sacramento perficit gratiam in primo receptam?

Ad probationem aliorum, videlicet, quia per hæc tria Sacramenta datur potestas ad aliquid spirituale, bene respondet Card. Lugo hic disp. 6. sect. 1. n. 8. Per Confirmationem non datur confirmatio ulla potestas, quæ in alijs non reperitur; omnes quippe possunt credere & confiteri fidem suam coram tyranno, quamvis confirmatus præ alijs ad hoc habeat specialiora à Deo auxilia; utique quia per quolibet Sacramenta (ut dictum est conclusione præcedenti) homo accipit jus quoddam ad specialia auxilia necessaria pro obtinendo particulari fine cuiusque. Deinde in Diaconatu & Subdiaconatu non datur potestas ad aliquid validè faciendum; quam non habet quilibet non ordinatus.

Denique quid obstat, quòd minus possit Deus dare talem potestatem absque characterè? quippe de facto omnes habent potestatem validè baptizandi, quam prius nõ habebant; & tamen absque ullo characterè. Rex à quò accipit suam potestatem? nonnè à Deo, vel à Republica? Inferiores iudices nunquid à Rege? num propterea imprimitur character Regi aut iudicibus inferioribus?

Hinc præfatus Auctor secutus Doctorem Subtilem ita concludit n. 9. Tota ergo ratio, suppositâ institutione Christi (quæ auctoritate

91. Non datur per Confirmationem confirmatio ulla potestas quæ non reperitur in alijs. Lugo.

Uñ nec in Diaconatu & Subdiaconatu ad validum.

Nihil obstat, quo minus deus deus deus abique characterè.

92. Doctorem Subtilem sequitur Lugo, totam

rationem ad  
congruen-  
tiam redu-  
cent.

autoritate magis, quam ratione probanda est) reduci debet ad congruentiam desumptam ex ijs, quæ fiunt in exercitū vel familia principis, ubi iij, qui designantur ad particularia officia vel obsequia, designari etiam solent peculiaribus signis & notis, quibus à cæteris discernantur. Ita Card. Lugo.

Scotus.

Sed quid Scotus? supra h. 15. sic inquit: Tertia congruentia est, quia congruit receptum in familiam Christi distingui à non recepto per aliquid intrinsecum: quia licet Christus posset distinguere sine tali intrinseco; tamen perfectior est distinctio eius & in se, & in comparatione ad omnem Ecclesiam, militan-tem scilicet & triumphantem; si fiat per aliquam formam intrinsecam manentem, quam si non sic fiat. Tale autem distinctivum eius, qui suscipit Sacramentum, quo intratur in familiam Christi, ab eo, qui non suscipit, & immanens in suscepto, ponitur character. Et profequitur: Istarum congruentiarum tertia est magis rationalis: quia est etiam specialis de Baptismo.

Quod hoc famili illustrat quæst. sequenti. n. 12. ubi querens, quare tantum sint tres characteres? Respondeo (inquit) quod hoc potest patere per simile in politijs istis mutandis: nullus enim habet determinatum gradum in familia regis, quia comedit vel bibit; nec quia post offensam dominus reconciliatur sibi, nec quia multiplicat personas in ista politia: nam isti actus communes possunt esse omnibus in quocumque gradu. Sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam domini; alium quando uteretur proficit & constituitur ut miles ad defendendam rempublicam; alium quando constituitur ut supremus sub domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in sua familia, utpote aliquis senescalus generalis, vel immediatus sub domino, cui commissa est auctoritas universalis ad recipiendum aliquos in familiam Domini &c. Sic in proposito tria Sacramenta, scilicet Eucharistia ad nutritivam spiritualem, Matrimonium ad procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationem annualem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia; imò possunt esse communes omni membro Ecclesia in quocumque gradu. Sed primus gradus in Ecclesia, & quidem universalissimus, est recipi in familiam Christi, quod fit in Baptismo: secundus specialis in militiam ad defensionem fidei Christiane, quod fit in Confirmatione: tertius constituit in patrem & pastorem ad introducendum alios in Ecclesiam, & ad dirigendum & ad instruendum eos, quod fit in Ordine. Et sicut in politia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet receptionem in

familiam, promotionem ad militiam & prestationem ad doctrinam; bene tamen iterari possunt nutritio, procreatio & reconciliatio: ita in proposito tria Sacramenta non debent iterari, alia tamen iterantur; & in non iterandis gradibus interabilis acquiritur & character dicitur, in iterandis autem non. Hec Scotus, quibus nihil addendum iudico, præterquam, quod habet eadem dist. quæst. 9. n. 16. ibi: Ponere autem in alijs Sacramentis quemdam ornatum correspondentem characteri, omnino superfluum est. Etenim gratia habitualis est, per quam anima mundatur & redditur Deo chara ac in conspectu ejus pulchra, juxta Glossam super illud Psal. 103. *Vexillaret faciem in oleo*. Gratia (inquit) est nitor anime sanctum concilians amorem.

Neque propterea negare debemus, etiam in alijs Sacramentis posse aliquid assignari, quod dicatur res & Sacramentum, si alicui ita loqui placeat: v. g. in Sacramento Pœnitentiæ assignari potest contritio, ea enim est res quatenus significatur per confessionem, & Sacramentum quatenus significat gratiam, ad quam disponit. In Matrimonio vero obligatio conjugum inter se: nam ea est res, quatenus significatur per externum contractum; & Sacramentum, quatenus significat gratiam & unionem spiritualem animæ cum Christo. In extrema Unctione est sanitas corporalis, quæ subinde efficitur per illud Sacramentum: ea quippe est res quatenus efficitur per illud Sacramentum, & Sacramentum quatenus significat sanitatem spiritualem. In Eucharistia denique est nutritio corporalis, sive realis conjunctio corporis Christi cum corpore nostro; ea siquidem est res, quatenus causatur ab ipso Sacramento, & est Sacramentum, quatenus est signum nutritionis spiritualis vel conjunctionis per gratiam.

Maneat itaque; tria tantummodò Sacramenta Baptismum videlicet, Confirmationem & Ordinem imprimere characterem; non quod possit istud (ut loquitur Scotus supra q. 9. n. 17. in fine) evidenter necessario probari ex creditis; sed quia Ecclesia ponit, & congruentia est. Nec valet argumentum negativum: si nec Dionysius, nec Damascenus, nec Augustinus; ergo nullus: sufficit enim auctoritas Ecclesia; quia Augustinus de moribus Manichæorum: *Evangelio non crederem, nisi crederem Ecclesia.*

Si quæras, quomodo hæc veritas possit esse fidei, si explicitè non habeatur in Scripturis. Respondeo ex eodem Doctore 1. dist. 11. quæst. 1. n. 5. ubi agens de processione Spiritus Sancti ex Patre, Filioque: *Ad rationem (inquit) illam de Evangelio* (in quo

93.  
In Sacramentis non imprimetur characterem potest assignari res & Sacramentum.

Scotus.

94.  
Veritas de characterem potest esse de fide etiam si explicitè non habeatur in Scripturis.

Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 6. 87

(in quo contendebant Græci illam profectionem non inveni) Dico, quod Christum descendisse ad inferna, non docetur in Evangelio: & tamen tenendum est sicut articulus fidei, quia ponitur in Symbolo Apostolorum. Ita multa alia de Sacramentis Ecclesie non sunt expressa in Evangelio, & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis, & periculosum esset errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt per scripta, sed etiam quæ consuetudine universali Ecclesie tenenda sunt. Nec Christus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum. Dixit enim discipulis suis in

Joan. 16. Joanne cap. 16. Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quæ non sunt scripta in Evangelio, & illa multa quadam per scripturam, quadam per consuetudinem tradiderunt. Similiter diversa Symbola diversis temporibus sunt edita contra diversas hæreses de novo orientes; quia quando insurgunt nova hæreses, necessarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa hæresis: quæ veritas, etsi prius erat de fide, non tamen erat prius tantum declarata, sicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant. Atque hoc factum credimus circa præsentem veritatem, ut ex dictis quilibet sanæ fidei facile percipiet.

Hæc ergo doctrinâ Catholicâ suppositâ, controversatur inter Theologos, in quo subiecto sit character. Et quidem imprimi characterem in anima docet Florentinum & Tridentinum. Verum enimverò cum anima consistat pluribus potentijs, præcipue intellectu & voluntate, realiter secundum D. Thomam, formaliter verò secundum Scotum ab ipsa distinctis, verba Conciliorum non probant essentiam animæ, sive animam esse subiectum immediatum; sufficeret quippe ad veritatem, si recipiatur in illis potentijs, ac ita mediata in anima. Quapropter Doctor Angelicus constituit characterem immediatè in intellectu; nos autem sequentes Magistrum nostrum Doctorem Subtilem dicimus.

CONCLUSIO VI.

Congruum est ponere characterem formaliter in voluntate.

95. Est Scoti characterem

Est Scoti 4. dist. 6. q. 11. n. 4. Dico ergo ad questionem, supponendo .... de

gratia, quod est idem cum Charitate, & per consequens est primo in potentia, scilicet in voluntate; & ulterius quod ista dispositio ad formam est in eodem susceptivo cum forma: character autem si ponatur in esse, convenienter ponitur dispositio ad gratiam sacramentalem .... ergo congruum est ponere characterem formaliter in voluntate.

esse in voluntate.

Nota ante omnia ly formaliter, cum enim voluntas in sententia Scoti realiter identificetur essentia animæ, character dici debet realiter immediatè subiectari in essentia animæ, quemadmodum ipsa gratia habitualis, & omnes actus naturales & supernaturales intellectus aut voluntatis, aliarumque potentiarum immaterialium.

Pro quo notandum primò.

Nota secundo ly congruum, nam rationes Scoti non probant omnimodam necessitatem, sed solum majorem quamdam convenientiam. Supponit autem Doctor ex lib. 2. dist. 27. gratiam & charitatem esse unum eundemque habitum, non solum realiter, sed etiam formaliter. Ideo (inquit n. 3.) alia est opinio, quæ dicit, quod gratia formaliter est virtus, quæ est charitas; & quæcumque excellentia attribuitur gratia & charitati: & è converso. Vtraque enim formaliter equaliter dividit inter filios regni & perditionis. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 18. Vtraque enim est forma virtutis, & neutra potest esse informis: utraque etiam coniungit ultimo fini perfectâ coniunctione, qualis potest esse in via: & si poneretur distincta, altera supersueret, quia reliqua sufficeret. Breviter, non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Notandum secundò.

Scoti;

Illo ergo supposito (de quo, Deo dante, latius in materia de Charitate) prima ratio sumitur ex verbis in principio conclusionis citatis: congruentius dispositio constituitur in eodem subiecto proximo (nisi aliquid obstat) in quo recipitur forma, ad quam disponit; atqui character est dispositio, saltem moralis, ad gratiam, quæ est formaliter in voluntate; ergo &c. Major in physicis videtur manifesta, & ab omnibus admissa.

96. Probatur primo ex maiori congruentia consequente dispositio in eodem subiecto proximo, in quo forma.

Minorem quoad secundam partem & eius probationem invenio 2. dist. 26. n. 6. in fine ibi: Concedi potest conclusio istarum rationum (gratiam esse in potentia voluntatis) quia iste habitus, qui probatus est esse supernaturalis, perficit potentiam animæ, & determinatam, scilicet voluntatem, quia in ordine ad obiectum determinatum talis potentia, & etiam actum, non autem perficit essentiam, immediatè & formaliter, quia ipsa ut sic nullum respicit obiectum, nec aliquem etiam actum. Confirmatur per Anselmum de Concep. s. Anselm. Virg.

Formam autem esse in voluntate, probatur ex secundo.



Virg. c. 3. Omnis iustitia & iniustitia est formaliter in voluntate: gratia est quedam iustitia & rectitudo; ergo &c. Item, opposita sunt circa idem: gratia & peccatum sunt opposita; sed peccatum est in voluntate, secundum Anselmum ubi prius: igitur & gratia.

97.  
Qua ratione  
character  
fit moralis  
dispositio  
ad gratiam,  
explicat  
Scotus.

Porro qua ratione character fit moralis dispositio ad gratiam, explicat Doctor quaest. 9. n. 18. his verbis: Et tunc ad rationem cum dicitur, aut est dispositio ex parte passivi vel agentis. Respondeo non agentis, quasi sit quoddam agens medium inter primum agens & passum: non enim pono characterem habere aliquam virtutem activam respectu gratiae causandae. sed Deum assistere illi tanquam signo invisibili ad causandam gratiam, quam signat recedente impedimento sive obice inharente. Est ergo dispositio ex parte susceptivi, quia est forma prior, sine qua non recipitur forma posterior; non quidem quasi sit ratio susceptivi respectu posterioris, sed quod prius inest, quam posterior, non simpliciter necessario, sed necessario comparando ad potentiam ordinariam agentis causantis utramque formam.

Character  
& gratia or-  
dinantur in-  
ter se in  
moralis aeti-  
matione.

Licet ergo character & gratia non habeant ullum ordinem inter se ex natura rei, habent tamen in morali aestimatione: nam gratia supponit characterem in Sacramento, & non e contra; adeoque character est natura prior moraliter gratiae Sacramentali. Et certe cum character Baptismi sit potentia moraliter disponens ad validam receptionem Sacramentorum; quare non erit etiam dispositio ad eorum effectum, qui est gratia?

Obiectio

Audio opponentem: Actus fidei disponit physice ad actum charitatis, qui est in voluntate: & sanctitas B. Virginis fuit moralis dispositio ad maternitatem, quae est potentia generativa.

Solutio.

Respondeo me ideo signanter posuisse nisi aliquid obftet, hoc est, quando subiectum formae est capax etiam dispositionis: jam autem neque voluntas est capax actus fidei, utpote qui sit actus immanens intellectus; neque potentia generativa sanctitatis, quae est habitus, aut actus immanens voluntatis. Adde quod fides exigit in voluntate pium affectum credulitatis.

98.  
Secunda ra-  
tio Conclu-  
sionis ex  
Scoto.

Secundam rationem tradit Doctor supra q. 11. n. 4. Quia si (inquit) character est signum vel fundamentum obligationis animae ad Deum, rationale est, quod ponatur in illa potentia, cuius est primo obligari, vel esse rationem obligandi: talis autem est voluntas, quia praesens per eius actum aliquis se obligat principaliter: illa enim qua concurrunt ibi ex parte intellectus, vel alterius potentia in homine, non sunt nisi quedam praebula ad

firmum velle, quod est rationabiliter proponere vel vovere, vel quedam signa manifestantia illud esse firmum.

Respondet Cardinalis Lugo disp. 6. sect. 4. n. 64. Non oportet signum obligationis poni semper in voluntate, sed ibi, ubi videri possit, ut contingit in signo servituti: quod magis habet locum in characterem Sacramentali, qui non semper suscipitur liberè; ut constat in infantibus baptizatis & confirmatis, & qui possent etiam ordinari ante usum rationis.

99.  
Obiectio ex  
Lugone

Sed contra; Ergo character debet poni in corpore; nam signum servitutis oritur ex voluntate, in facie v. g. gestatur; quia signum in essentia animae aut voluntate impressum homines pro hoc statu nequeunt videre; Deus autem perfectissime intuetur characterem in voluntate. Et quamvis infantes liberè characterem non recipiant, sicut nec Sacramentum; non tamen propterea minus obligantur, obligatione proximè residente in illorum voluntate. Quidni etiam character resideat, quemadmodum ex eodem Sacramento non liberè suscepto proximè illi inexistit gratia & charitas?

Solutio

Addunt aliqui tertium argumentum; quia character inclinatur ad colendum Deum, quod maxime fit per voluntatem, nimirum per actus spei & charitatis elicitos vel imperatos, sic quod etiam fides aut professio eius non habeant rationem veri cultus Dei, nisi per pium affectum voluntatis imperentur. Neque character est professio fidei, nisi quatenus est signum eius; non debet autem signum esse in eo, in quo est signatum, ut patet in iudicialia potestate, quae est in anima, non autem eius signum v. g. virga.

100.

Attamen nec hoc argumentum convincit, cum character non sit principium physicum illorum actuum, sed ad summum adferat jus aliquod ad habenda auxilia opportuna, quibus fiant: cumque auxilia illa partim sint illustrationes pertinentes ad intellectum, partim affectiones pertinentes ad voluntatem, potius probaret characterem debere recipi in intellectu simul & voluntate; ut videtur placuisse D. Bonnav. 4. dist. 6. parte 1. q. 3. Nihilominus quoniam formalis & principalis ratio virtutis proprie dicitur consistit in sola voluntate, ideo conveniens & magis congruum est, ut in illa etiam sola imprimatur character, qui est potentia saltem moralis ad actus virtuosos. Character (inquit Scotus supra q. 11. n. 4.) non est dispositio proxima ad fidem ut fides est; sed est dispositio ad illam perfectionem,

Scotus.

Sect. 4. De Causal. & effectu Sacram. Concl. 6. 89

perfectionem, quæ principaliter conformatur totam animam Deo: & hac est gratia, quæ est eadem cum charitate, & in voluntate.

101.  
Obiectio prima

Obijcitur primò: Character non ordinatur ad operandum, sed ad perficiendam, decorandam & signandam animam: ergo debet esse in essentia animæ, & non in aliquo principio operativo seu potentia.

Obiectio secunda

Obijcitur secundò: Potentiæ non sunt nisi instrumenta animæ, quorum tota essentia & specificatio desumitur ab actu, seu operatione & objecto, ergo in ijs non videtur aliquid posse existere præter operationem, & id, quod ad eam conducit, quale non est character: unde intellectui nihil inexistit, nisi ipse actus seu operatio, & species a habitu, quæ ad operationem conducunt; adeoque videtur idem dicendum de voluntate.

Solutio.

Respondeo ad utrumque negando consequentiam: quamvis enim character ordinetur ad perficiendam substantiam in essendo, tamen quia illam perficit ut rationabilem & liberam, disponens ad charitatem, quæ operativa est, debet proximè inherere libero arbitrio. Simile sit in qualitatibus primis elementaribus, quæ licet per se primò ordinentur ad perficiendam substantiam in essendo, inherere tamen illi mediante quantitate. Quæ etiam quantitas, cum non sit activa, sicut sunt illæ qualitates, sequitur accidentia non debere semper imitari naturam sui subiecti; & ita licet potentiæ sint datæ ad operandum, posse tamen in eis aliquid inexistere, quod non est activum: veluti nec ipse actus, quo supernaturaliter intelligimus vel volumus, est activus, quamvis inexistat immediatè potentij.

102.  
Tota essentia potentie non desumitur ex ordine ad operationem.

Neque verum est totam essentiam potentie, v. g. intellectus & voluntatis, desumi ex ordine ad operationem, cum sint entia absoluta, ac qualitates vel substantiæ: sed cum dicitur specificatio potentiarum desumi ab actibus, eatenus verum est, quia quando potentia una est productiva certorum actuum, & non altera, signum est esse distinctam ab illa; quo sensu etiam dicuntur actus distingui per objecta: alioquin notitia abstractiva & intuitiva differunt specie, & tamen versari possunt circa idem objectum; sicut & voluntas & intellectus, quæ secundum Scotum habent idem objectum, nimirum ens, licet diversimodè in illud tendant. Cum etiam secundum eundem non differant realiter ab anima, sequitur à parte rei intellectum & voluntatem hominis differre specie ab in-

tellectu & voluntate Angeli, licet habeant eandem specie relationem transcendentalem ad idem objectum, & ad eisdem specie actus, propter quod & dicuntur non differre formaliter in ratione potentie.

Accedit, quòd character moraliter aliquid agere videatur, quatenus v. g. movet Angelos, ut specialem habeant curam illuminandi & custodiendi eo insignitos; ipsumque Deum ad dandum illuminationem & alias gratias actuales. Præterea Beatos, qui cæteris paribus specialiter pro eis orant, qui illum habent, & quando sunt in patria; speciali quodam honore prosequuntur illos, & in hoc Deum speciali titulo laudant: quod præsertim elucet in Ordinis characterè, cuius intuitu specialis reverentia exhibetur ei, qui illo insignitus apparet.

Character videtur moraliter aliquid agere.

Obijcitur tertio: Character est lumen spirituale. Respondeo ad alios illuminandos, ut cognoscant statum meum, hoc est, me esse deputatum domesticum aut militem vel ministrum Christi; tale autem lumen non debet esse in intellectu; sic enim character servi illuminat alios, ut sciant illum esse servum, non tamen recipitur in intellectu servi. Pari ratione character dicitur imago, figura & similitudo spiritualis, non quòd sit cognitio vel principium efficiens cognitionem, sed quia agnitus ducit in cognitionem obligationis voluntatis, in qua est.

103.  
Obiectio tertia solutio.

Et verò si quispiam à me petat, quænam ergo sint proprietates characteris? Respondeo cum Doctore Subtili supra quæst. 9. num. 3. Ex ista ratione nominis (characteris conclus. 5. in principio tradita) sequuntur aliquæ proprietates, quarum duæ sunt communes sibi & cuilibet forme, scilicet quòd est forma assimilativa alij habenti, & quòd est forma distinctiva à non habente, & alia speciales, quarum una est, quòd est signum rememorativum Sacramenti suscepti: alia, quòd est signum conformativum Christo, cuius Sacramentum suscipitur; & etiam obligatorium ei, eo modo, quo suscipiens Sacramentum obligatur per eius susceptionem. Nulla autem harum proprietatum postulat characterem immediatè imprimi vel in essentia animæ, vel in intellectu, sed potius ex majori congruentia in voluntate. Neque indelebilitas characteris id exigit; ut patebit ex his, quæ statim de illa disputo.

104.  
Proprietates characteris.

## CONCLUSIO VII.

Charakter de potentia ordinaria est indelebilis, etiam post mortem.

105.  
Charakteris indelebilis non rectè ex Sacramentorum non iterabilitate colligitur contra Lugonem.

Quòd de facto non deletur in hac vita ad minus probant verba Conciliorum supra conclus. 5. citata. At verò quomodò hoc colligatur ex eo, quòd illa Sacramenta reiterari nunquam possunt (ut vult Cardinalis Lugo supra n. 66.) non satis video; forè lumen aliquod adferet consequentiæ probatio: Quia alioquin (inquit) vel ille homo deberet iterum baptizari aut ordinari, vel certè esset Christianus, vel Sacerdos absque characterè, & per consequens à principio potuisset esse talis sine illo. Adhuc parva lux; quippe juxta eundem Auctorem ibidem n. 5. non bene videtur argui ex eo, quòd iterari non possint, quòd imprimant characterem. Probat: nam consecratio calicis vel Ecclesiæ, ac etiam prima tonsura iterari non possunt, & tamen non imprimunt characterem. Præterea docet n. 7. sic Deum statuere potuisse decreto immutabili, quòd ille, qui semel accepisset potestatem sacerdotalem, nunquam eam perderet; unde fieret, quòd illa potestas reiterari non posset, etiamsi non imprimeret characterem.

Si ergo à principio potuit homo esse Christianus vel Sacerdos absque characterè, idèque immutabiliter; cur non etiam per characterem delebilem sive transeuntem, si Deus ita ordinasset? Unde Concilia non inferunt indelebitatem ex non iteratione, sed è converso ex characterè indelebili initerationem. Equidem supposità voluntate Christi, quâ voluit hominem fieri & manere Christianum vel Sacerdotem per signum aliquod intrinsecum, rectè ex initeratione Sacramentorum inferitur indelebilis characteris. Et forè hoc solum voluit præfatus Auctor.

106.  
Radix indelebitatis characteris est voluntas divina.

Radix ergo indelebitatis hujus signi est voluntas divina; quemadmodum eadem voluntas in sententia Doctoris Subtilis est tota ratio delebitatis gratiæ sive charitatis; siquidem quòd nullà ratione physicè produci potest à causâ creatâ, neque per eam potest physicè destrui. Sicut ergo Deus decrevit gratiam annihilare ad præsentiam peccati mortalis, quia peccator indignus est amicitia divinâ; ita potuisset, si voluisset, decernere, ut ad quod-

libet peccatum vel ad certum aliquod in specie v. g. infidelitatem, destrueretur demeritorie character Baptismi; ad externam professionem falsæ fidei, character Confirmationis; ad indignam collationem Ordinis sacri vel sacrilegam administrationem cuiuscumque Sacramenti, character Ordinis. Noluit autem, quia voluit etiam animæ peccatrici characterem primò imprimere: at sicuti noluit gratiam peccatori actuali infundere; ita quoque voluit, ut per quodlibet peccatum mortale habita demeritorie amitteretur, & instituit Sacramenta, per quæ amissa posset recuperari.

Hinc bene respondet Scotus supra q. 9. n. 20. ad tertiam rationem pro opinione negante characterem, quæ erat talis: Non videtur probabile, quòd alicui, qui non tantum est in peccato mortali, sed in illo actu peccat mortaliter, Deus conferat donum suum; & hujus probatio est; quia Dei perfecta sunt opera, Deut. 32. v. 4. & ideo nullum curat, quem non perfecte curat: impius enim est à Deo imperfectam perare veniam; nullum ergo donum suum dat alicui actualiter tunc peccanti mortaliter.

Respondet (inquam) Doctor: Potest dici, quòd Deus peccanti mortaliter in ipso actu, quo peccat mortaliter, confert aliquod donum suum: quia non vult Sacramentum suum (nota, non vult) quòd verè ab eo suscipitur, esse vanum, & ita vult ibi aliquem effectum causare: non autem ultimum, quia indispotus est. Et cum probus, quòd perfecte curat, concedo quando curat: sed tunc non curat, immò tantum disponit istum, sive preparat ad curationem: & concedo quòd perfecte preparat; intellige quantum est ex parte Sacramenti, ut posita dispositione subjecti, statim conferat gratiam.

Et istud (prosequitur) est rationale, quia licet in actionibus beneplaciti circa personas privatas forè non conferat dona sua pertinentia ad salutem illius personæ, nisi perfecte sanando illam personam: in actibus tamen universalibus concomitantibus remedia sua universalia, cuiusmodi sunt Sacramenta, rationale est, ut aliquos effectus universales ordinaret causare cum talibus remedijs: non autem ultimos, quia non omnes recipientes illa remedia, sunt ad hoc idonei.

Ex quo ulterius intelligimus de absoluta Dei potentia characterem non esse indelebilem, ut ibidem tradit Doctor, inquit: Breviser dico, quòd nulla forma potest esse in anima; alia ab anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, sicut posterius à priori, quia in hoc nulla potest inveniri contradictio. Sed character, si ponatur, hoc modo est indelebilis .... quia

107.

107.

Deut. 32.

Scotus.

108.  
De absolute Dei potentia non est indelebilis.

Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 7. 91

quia nec virtute alicuius creatura; patet, quia est forma supernaturalis (quae non habet contrariam, à qua physice expellatur) nec potest virtute divina deleri de potentia eius ordinata; quia ordinavit nullam formam supernaturalem delere, nisi propter aliquod demeritum inhaerens anime: respectu autem characteris delendi nulla potest esse causa demeritoria (stante praesenti Dei ordinatione) quia imprimatur in actu peccandi mortaliter, idque independenter ab omni actu voluntatis; imò licet cum voluntate suscipiendi Sacramentum conjungeretur voluntas contraria non recipiendi characterem: minus ergo qui semel voluntate expressa eum recepit, potest pro libitu postea abjicere; signum namque servitutis aut militiae humanae liberum est in accipiendo, at non in rejiciendo.

Porro conveniens fuit Deum ita instituisse characterem; si enim potestas moralis suscipiendi & conficiendi Sacramenta, quae characteri ex praesenti ordinatione est annexa, perderetur per peccatum, deberent homines saepius rebaptizari, quod est inconveniens, quandoquidem Baptismus sit institutus ad representationem mortis & resurrectionis Christi, quae nunquam debuerat repeti. Deinde nunquam essent homines certi an valide susciperent Sacramenta, v. g. Pœnitentiae, nisi essent certi quod essent in gratia, adeoque haberent characterem. Denique multi Sacerdotes Sacramenta invalidè conferrent in magnum Christianorum detrimentum, & deberent cum scandalo reordinari. Potuisset quidem Deus ablato characterè relinquere praedictam potestatem (ut dictum est) sed & hoc est inconveniens, quia character est signum hujusmodi potestatis, & non confertur nisi propter illam.

Restat ultima pars conclusionis, quae est communis, quàmvis non sit fidei, sicut prior: eò quod non videatur fuisse mens Conciliorum hoc definire, cum de hoc non fuerit controversia cum haereticis. Probat autem maximè ex praxi Ecclesiae, quae non solet resuscitatum à mortuis denuò baptizare, confirmare vel ordinare, & tamen permittit Sacramenta recipere ac conficere.

Dicere verò, Deum in resuscitato reproducere characterem, vel conservare in eo, quem novit resuscitandum, est ponere miraculum sine sufficienti ratione; si enim ex natura sua perit, cur non dicitur Sacramenta illa esse reiteranda? Quemadmodum religiosus, aut conjux reviviscens, manet solutus voto aut vinculo, nisi denuò

voceat aut contrahat; quippe votum aut vinculum matrimonij ex natura sua solum durat usque ad mortem.

Dices: Si beatus resurgeret & rediret ad statum viatoris, Deus i. funderet ipsi novum habitum fidei. Respondeo: quia aliunde constat priorem habitum in patria fuisse evacuatum ob status ac luminis perfectionem; de quo in materia de Fide. Docet insuper Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. hominem viatorem in justificatione haec omnia simul insula accipere Fidem, Spem & Charitatem; vel ergo beatus non resurgit justus, vel retinet lumen gloriae, aut certe Deus, absque tamen novo miraculo, infundit habitum fidei eundem, vel numero diversum.

Certum autem est, hominem posse justificari absque impressione characteris, per contritionem scilicet perfectam, aut amorem Dei super omnia, ante realem susceptionem Baptismi. Aliunde etiam non constat per mortem characterem impressum amitti; manet siquidem subjectum, quod est sola anima, salvum. Aliud est quando destruitur calix consecratus; eo ipso enim amittitur consecratio, quia definit esse compositum artificiale, cui toti entitas illa moralis ahaeret.

Sed inflas: Damnati indigni sunt dono supernaturali, teste Dionysio de Divinis nominibus cap. 4. ubi dicit, demones carere omnibus divinis donis tam secundum habitum, quam operationem. Unde in damnatis nulla reperitur fides, nisi quandoque naturalis: nam (ut bene D. Augustinus lib. 9. de Civit. cap. 21.) *Immutat ergo (mysterium Incarnationis) demones, non per id quod est vita aeterna & lumen incommutabile, quod illuminat pios; eis vivendo per fidem, quae in illo est, corda mundantur: sed per quadam temporalia sua virtutis effecta &c.* Deinde character tam in damnatis, quam beatis erit otiosus; quippe post mortem non manet potestas suscipiendi vel conferendi Sacramenta; etiam post generalem resurrectionem, quia pro solis viatoribus Sacramenta instituta sunt; ergo sicut in patria destruitur fides habitualis propter ejus otiositatem, ita quoque character.

Respondeo ad primum, nullum ostendi inconveniens in eo, quod Deus conservet in damnatis qualitatem aliquam supernaturalem, quando illa ipsis servit non ad gloriam, sed ad majorem confusionem. Etenim sicut ignominiosum est in Republica civili militem non pugnasse, Principem tyrannicè rexisse; ita

M 2 valde

Secus de ordinata.

Illius confirmationis.

109. Character est etiam indelebilis post mortem.

Obiectio

110. Et instantia solvantur.

Trident.

Obiectio

111. Obiectio quod damnati sint indigni dono supernaturali.

S. August.

Et quod character tam in damnatis, quam beatis erit otiosus.

Respondeo ad primum.

valde confusibile est in Republica Ecclesiastica, militem Christi fidem ejus negasse & oppugnasse, civem bona communia, puta Sacramenta & suffragia, contempnissse; denique Principem & Praefectum bona communia Ecclesiae non dispensasse, sed dissipasse. E contra verò quemadmodum honorificum & gloriosum est munia Republicae civilis strenuè obivisse, ita ut etiam scripturam homines honoris causâ retineant domi suae insignia & scripturas dignitatum, quas habuerunt, etiam postquam officio functi sunt; simili ratione oportuit in Beatis permanere characterem, non ad operandum (non enim est qualitas physice operativa) sed tanquam signum potestatis & gratiae acceptae ac bene impense; permanere (inquam) oportuit in majorem illorum gloriam.

Responde-  
tur secundò.

Ex quo patet responsio ad secundum; fides siquidem habitualis qualitas est physice operativa, & ad operandum principaliter à Deo infusa; cessante autem fine, id est, operatione, in damnatis quidem propter eorum indignitatem (status quippe damnationis est status summè miseriae) in beatis verò propter status ac luminis perfectionem, congruum fuit ut etiam effectus cessaret: porro character (ut jam dixi) non imprimitur à Deo principaliter propter operationem, neque est qualitas physice operativa, sed in signum potestatis acceptae, sive distinctivum unius ab altero, sive rememorativum, non tantum

Scotus. (ut advertit Scotus supra quaest. 9. n. 19.) propter illos, respectu quorum habet rationem signi ducens in rationem signati .... sed habet rationem signi rememorativi propter ipsum qui suscipit. Et quod obijcitur (inquit) quod Deus posset cognoscere orem suam sine signo, non obstat; quia etiam potest eam nosse cum signo. Beati etiam & damnati possunt istam nosse signatam, quam non cognoscerent non signatam: quia in beatitudine ad maiorem gloriam, & in damnatione ad maiorem confusionem.

Videant alij, quomodo damnatis erit ad opprobrium permanentia characteris à toto sodalicio invisit, cum supernaturalia (inter quae character communiter computatur, utpote cujus effectio est supra naturam, sicut dicitur) naturaliter secundum ipsos videri non possint.

112.

Qualiter  
damnati vi-  
deant cha-  
racterem.

Dices: Esto videant damnati in sententia Scoti characterem, quamdiù intellectus eorum in intelligendo non dependet à phantasmate, saltem post resumpta corpora amplius non videbunt. Respondeo: poterunt tunc habere notitiam

rememorativam; poterunt discere à demonibus id eis exprobrantibus: quod etiam fiet in die iudicij.

Hucusque de existentia characteris, ejus subiecto & indelebilitate. Non tango divisibilitatem aut indivisibilitatem, quae parvi momenti est, & de qua nihil certò constare potest; sed venio ad essentiam sive entitatem, & quaero, an sit realis, an rationis? relativa, an absoluta? Pro resolutione subijcio conclusionem octavam, quae sic se habet:

### CONCLUSIO VIII.

Character non est relatio realis, multò minùs rationis; sed forma realis absoluta.

Hæc conclusio multis recentioribus apparet esse contra Scotum: sed nescio utrum Scotum vel leviter inspexerint, primo quippe intuitu vidissent problematicam ejus resolutionem his verbis conceptam & expressam 4. dist. 6. quaest. 10. num. 13. Ad quaestionem potest dici, quod sicut non potest probari aliquam formam realem imprimi in susceptione Baptismi aliam à gratia & virtutibus, & hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per rationem evidentem ex creditis manifestis: ita non potest probari characterem, si ponatur forma realis, esse formam absolutam realem, vel respectivam: quia utrinque salvari potest, quod sit scilicet forma respectiva, vel quod sit forma realis absoluta. Si ponatur, non potest evidenter improbari: quaedam enim sunt satis rationabiliter concedenda de characterem si ponatur esse utpote quod est forma spirituali impressa à Deo cuicumque suscipienti Sacramentum non iterabile; & quod ex institutione divina efficaciter significat gratiam illius Sacramenti; & quod disponat ad eam, quia est in eodem susceptivo & ab eodem agente, & forma prior & imperfectior; & quod sit indelebilis, cum non habeat causam demeritoriam corruptivam; & quod sit signum memorativum respectu susceptionis Sacramenti, quae praterit; & signum configurativum, id est, signans obligationem animae ad Christum. Quod etiam sit forma assimilativa alteri suscipienti Sacramentum, & ab eo distinctiva, qui non suscipit.

Hæc omnia, quae videntur rationabiliter concedenda de characterem, si ponatur forma realis absoluta, possunt salvari, si ponatur respectus realis per modum praedictum, sicut si est forma

113.  
An character sit relatio realis, vel forma realis absoluta, problematice disputat Scotus.

**Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 8. 93**

forma absoluta realis. Si autem ponatur respectus realis, dictum est prius, qualiter ista salvabuntur, qualis respectus sit, quia extrinsecus adveniens. Et addit: Sed si ponatur forma absoluta, necesse est dicere, quod pertineat ad genus qualitatis.

**Cul falsò à Vsq. impo-  
nitur ten-  
entia de re-  
latione ra-  
tionis.**  
Ista falsus, ut cuilibet æquo ac benigno lectori constare possit. Primò, quàm falsò, ne dicam injultè, Valq. 3. parte disp. 134. cap. 2. imponat Scotò, quòd dixerit, characterem esse relationem rationis. Pro veris non vera loqui turpissima res est. Secundò, quàm temerarij fiat, qui ob hoc Scotum temeritatis notant. Tertio, ut appareat Doctorem minime tenere, esse respectum realem, sed tantùm hoc posse defendi, probabilis tamen poni formam absolutam; cumque istud postremo loco defendat, & ipse tuam sententiam ultimo loco solvat adferre, colligitur eum potius inclinasse in nostram conclusionem, quam proinde etiam communiter tenent Scotista, ut videre est in scholio Hugonis ante n. 13 supra citatum.

**1<sup>o</sup> formam  
realem ab-  
solutam  
magis incli-  
nat Scotus;**  
Et certè Scotus pulcherrimè ostendit probabilitatem sententiæ assertentis esse relationem extrinsecus advenientem, eo quòd optimè huic relationi conveniant omnia, quæ characteri à Doctore tribui solent: & præsertim, quòd character sit quoddam signum spirituale; signum etenim formaliter ac essentialiter est relatio; cum tamen, si character ponatur esse quid absolutum, non possit dici signum, nisi denominativè.

**114.  
Nec dicitur  
Lugo,**  
Respondet facilè Cardinalis Lugo disp. 6. sect. 2. n. 25. non constitui omne signum per relationem prædicamentalem. Sed replico eadem facilitate, Doctorem nostrum non asserere characterem esse relationem prædicamentalem, hoc est, prædicamenti Ad aliquid; sed extrinsecus advenientem, realiter distinctam à voluntate sive anima, in qua tanquàm fundamento per actionem realem immediatè ad se terminatam imprimatur, ad eum modum, quo præsentia localis sive ubi, quod est respectus extrinsecus adveniens juxta eundem, producit in corpore quod localiter movetur.

**Nec Doctòr  
Angelicus.**  
Solvit etiam ibidem, & solitè subtilitate demonstrat à numero 3. usque ad 13, parvi esse momenti omnia argumenta, quibus Doctòr Angelicus, & modò recentiores probant esse qualitatem seu formam absolutam, & non relationem.

**115.  
Probatio  
Conclusio-  
nis prima  
ex perfe-  
ctione for-  
mæ absolu-  
te.**  
Cæterùm quoniam amplectimur sententiam communem, accedo ad ejus probationes, quarum ista facilè princeps: Forma realis absoluta est multò perfectior, quàm

relationes etiam extrinsecus advenientes ergo character aptius asseritur forma realis absoluta, quandoquidem sit effectus, quem certa Sacramenta per quamdam prærogativam habent præ cæteris.

Argumentor secundò, & ostendo characterem non esse relationem realem; quia vel esset relatio realis transcendens, vel relatio realis prædicamentalis, vel denique relatio realis ex numero earum, quas Doctòr noster vocat extrinsecus advenientes; nulla istarum est; ergo &c. Probo minorem pro prima parte; quia character nulli subjecto necessariò inest, sicut relatio transcendentalis, quæ comitatur essentiam rei, & ab ea realiter est indistincta.

Equidem hæc ratione posset dici relatio transcendentalis, quia in ipsi essentia characteris imbibitus sit quidam ordo seu respectus tum ad operationes, ad quas vel recipientes vel exercendas destinatur subjectum; tum ad auxilia, quæ debentur ratione Sacramenti; tum ad Christum, cujus characterem accipit homo tanquam servus, miles vel minister; non quòd character, v.g. baptismalis, faciat hominem formaliter servum; sed potius, quia designat eum, qui est servus vel domesticus Christi, sicut servus in humanis designatur signo aliquo in facie impresso, cum antea per venditionem v.g. formaliter sit factus servus; & ita in præsentem homo fit domesticus Christi per Sacramentum Baptismi, Miles per Confirmationem, Præfectus per Ordinem: porro character imprimatur animæ ad notificandam hujusmodi conditionem.

Secunda pars minoris per se clarior est, quàm ut indigeat aliqua elucidatione: sic quippe character supponeret speciale fundamentum intrinsecum ipsi homini superadditum, à quo necessariò resularet seclusa omni actione particulariter ad se terminatà, quod liquet esse falsissimum. Deinde relatio prædicamentalis necessariò postulat terminum actu existentem; character aliquando habuit terminum non existentem, v.g. in triduo mortis Christi, quando Christus non erat.

Nec denique est relatio realis ex numero earum, quas Doctòr Subtilis vocat extrinsecus advenientes: nam tamen ex actione sacramentali, quæ homo baptizatur, confirmatur, ordinatur, maneat in homine quædam relatio extrinsecus adveniens, juxta doctrinam Scoti de relationibus extrinsecus advenientibus; hæc tamen relatio non potest dici character: siquidem etiam ex actione aliorum Sacramentorum maneat in homine similis relatio, quæ tamen non est character.

**116.  
Probatio  
secunda ab  
enumeratione  
formarum re-  
lativarum.**

**Quæ ratio  
ne posset  
dici relatio  
transcenden-  
talis.**

**117.**

**118.  
Non est re-  
latio realis  
extrinsecus  
adveniens.**

**Licet ex  
actione Sa-  
cramentali  
maneat in  
homine  
quædam re-  
latio extrin-  
secus adve-  
nientis.**

character. Probatur: quia illa relatio, quæ manet ex applicatione Baptismi, Confirmationis & Ordinis, non est aliud quàm denominatio baptizati, confirmati & ordinati; atqui similis relatio seu denominatio nutriti, absoluti, sanati, conjugati manet ex applicatione Eucharistia, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonij, quæ tamen non est character; ergo &c.

Probatur consequentia: quia si relatio baptizati v. g. esset potius character, quàm relatio nutriti; id esset, vel quia illa relatio est indelebilis, hæc autem delebilis: quod dici nequit, quia etiam relatio nutriti ex præterita nutritione resultat indelebilis, cum ad præteritum non detur potentia; vel quia relatio baptizati est signum specialis gradus seu dignitatis in Ecclesia, non autem relatio nutriti, absoluti &c. at neque hoc sufficit, quia hæc differentia est tantum moralis, non physica; quod enim aliquod accidens significet dignitatem, pendet solum ex beneplacito instituentis, non autem ex natura rei, quæ ad significandum imponitur: ergo ratio signi non constituit speciale genus entis accidentalis, quod non etiam imprimatur per alia Sacramenta. Itaque character non potest consistere in sola relatione, sed debet esse accidens absolutum, quare non imprimatur per alia Sacramenta.

Scotus.

Respondet Scotus supra q. 10. n. 9. *Quod ratio nihil probat, nisi quod character non est quicumque relatio ad actionem, vel passionem Sacramenti: sicut si esset forma absoluta, non esset quicumque absoluta, quia in alijs Sacramentis secundum aliquos imprimatur aliqua forma absoluta, sed non character. Et propter hoc (prosequitur) potest dici, quod in quolibet alio Sacramento imprimatur aliqua relatio manens post actum: character autem si est relatio, manet post actum suscepti Baptismi, imo semper.*

Illia tamen ex mente Scoti non est character.

Unde ex mente ejusdem, character si est relatio realis, non est denominatio illa extrinseca baptizati, confirmati, ordinati; sed specialis quidam respectus extrinsecus adveniens ipsi animæ, causatus à Deo immediate in susceptione Sacramenti initerabilis, denotans certum gradum dignitatis in Ecclesia, & suo modo disponens ad gratiam in eodem, vel alio Sacramento recipiendam. Sanè non video, quin talis respectus realis sit possibilis.

119. Probatio tertia ab exclusione relationis rationis contra Durandum.

Argumentor tertio, & declaro characterem non esse relationem rationis, quidquid reclamet Durandus 4. dist. 4. quæst. 1. dicens: Cum igitur character sit id, in quo

homo efficitur minister Sacramentorum vel susceptivus eorum, patet quod character non est nisi relatio rationis ex ordinatione vel passionem divina. Et istud convenientius; cum enim scriptum sit Eccli. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, Eccl. 24.* ad ea quæ sunt fidei, cum sint satis obfcura de se, non est conveniens adducere vias obscuras, & quæ plus habent obscuritatis & difficultatis, quàm principale propositum. Hæc ille.

A qua sententia (inquit Vasq. supra) non longè abest Scotus in 4. dist. 6. q. 10. ubi postquam in §. *Contra illud*, latè impugnavit sententiam, quæ affirmat characterem esse qualitatem absolutam, & rationes ejus dissolvit; in fine illius tandem concludit, characterem tantummodò esse quemdam respectum extrinsecus advenientem ipsi animæ, effectum proximè à Deo in ipsa Sacramenti administratione, atque hæc ratione rectè omnia constare, quæ à Theologis tribuuntur characteri, neque ad id opus esse, ut asseramus characterem esse qualitatem aut entitatem aliquam absolutam.

Concludit planè id posse dici, & non dubito quin probabiliter. Sed audiamus ridiculam & impertinentissimam consequentiam Vasquesij: Quocirca (inquit) qui putant Scotum dixisse, characterem esse relationem realem intrinsecam animæ, falluntur; ex quo apparet aut ipsos non legisse Scotum, aut sententiam ejus non satis intellexisse.

Liceat hinc mihi usurpare dictum Apostoli Rom. 2. v. 1. *Propter quod inexcusabilis es homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis que iudicas. Hercule si unquam, hoc sanè loco ostendit Vasq. se vel non legisse Scotum, aut sententiam ejus non satis intellexisse.*

Queritis demonstrationem ejus quod dico? legite verba, quæ supra in principio conclusionis ex Doctore nostro recitavi, & festinè invenietis. Immo ex ipsis verbis Vasquesij mox relatis ostendo: Concludit (inquit) characterem esse tantummodò quemdam respectum extrinsecus advenientem ipsi animæ. Quid tum? Ergo non est relatio realis intrinseca animæ. Qualis consequentia! Præsentia localis secundum Scotum tantummodò est respectus extrinsecus adveniens corpori: ergo non est relatio realis intrinseca corpori. Ubi Scotus quæso, vel aliquis Scotista sic argumentatur?

Immo è contra in principijs nostris inferri debet: ergo est relatio realis intrinseca corpori;

Cujus sententia Scotum patrem facit, sed falsissime, Vasquesius.

120.

Rom. 2.

quod ostenditur, etiam ex iplo Vasquesio, primo.

corpori; non enim Scotus dicuntur sex ultima prædicamenta relationes extrinsecus advenientes, eo quod sint entia rationis, aut certè realia nulli subiecto intrinsecè inexistentia; sed quoniam non consequuntur necessariò extrema etiam ambo simul in actu posita, sicuti relatio intrinsecus adveniens necessariò resultat posito fundamento & termino. Ita 4. dist. 13. q. 1. n. 9. ibi: Ille dicatur respectus intrinsecus adveniens, qui necessariò consequitur ambo extrema in actu posita, vel (quod idem est) necessariò consequitur suum fundamentum termino non excluso, sed posito. Extrinsecus autem est, qui non consequitur necessariò extrema etiam ambo simul in actu posita.

Et ideo (secundùm eundem) produci- tur per actionem immediatè & contingenter ad ipsum terminatum; quia licet Philo- sophus 5. Physicorum neget motum esse (verba ejus sunt 4. dist. 6. q. 10. n. 4.) in ad aliquid, prout ad genus ad aliquid per- tinent relationes intrinsecus advenientes; non negat tamen motum vel mutationem esse in ad aliquid extrinsecus adveniens; immò concedit. Concedit enim in genere Vbi esse motum proprie, & tamen Vbi non est nisi respectus quidam cor- poris circumscribentis ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens. Ecce quàm profun- dè Vasquez intellexerit mentem Docto- ris Subtilis!

Quidni (inquis) intellexerit? Fatetur siquidem Scotum docere, characterem effi- ci proximè à Deo. Fatetur omninò, & vel sic magis manifestans suam inscitiam. An fortè dixeris hanc legitimam consequen- tiam: Deus proximè efficit in consecra- tione panis & vini præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus: ergo hæc præsentia est ens rationis? Nec ipse Vasquez eam concederet. Quomodò ergo rectè sequitur: Scotus dicit characterem proximè effici à Deo in administratione Sacramenti: ergo dicit esse ens rationis? Potiùs oppositum inferre debuisset: ergo docet esse ens reale.

Unde sic exordior impugnationem Du- randi, à cuius opinione Scotus longissimè absuit: Concil. Florent. & Conc. Trid. propriè sunt intelligenda, nisi aliquid ob- stet: docent autem characterem esse signum aliquod spirituale & indelebile in anima impressum, utique à Deo: ergo minime est ens rationis.

Existimas enim quia Deus fingit entia rationis? Absit à nobis ut Deum dicamus aliter concipere rem, quàm à parte rei est. Disputant quidem Scotistæ inter se, an eorum Magister aliquando docuerit Deum

posse efficere entia rationis, aliquibus asse- rentibus; alijs negantibus. Sed quid inde? Esto docuerit, saltem dubitative, quod ne- mo potest negare; qui legit ipsum 1. dist. 30. in fine, ubi sic habet: Sicut in æternita- te Deus comparat voluntatem suam, ut creati- vam ad animam Antichristi, ut possibilem pro aliquo tempore, ita comparat in æternitate vo- luntatem suam, ut creativam, ad animam Anti- christi, ut actualiter existentem pro illo nunc, pro quo vult creare illam animam. Et ista qui- dem sunt due relationes rationis sicut duo extre- ma, sed utraque æterna, licet non pro æterno. Esto (inquam) sit ita: nunquid etiam aliquando asseruit ista entia rationis esse respectus extrinsecus advenientes? aut cau- sari à Deo in tempore, nec simpliciter cau- sari seu effici, sed imprimi? Certè ly imprimere, quo utuntur Concilia supra, & læ- pissimè Scotus, probans characterem solùm esse relationem extrinsecus advenientem; videtur omninò significare actionem ali- quam physicam & realem; ac per conse- quens terminum seu effectum physicum & realem.

Præterea, quomodò homo signatur per ens rationis, quod nihil est? Quomodò illa relatio rationis seu denominatio extrinseca potest esse signum, quo unus præ alio de- putatur ad factas actiones; cum nihil ponat in homine, nec sit in se cognoscibilis, sed tantùm per id, ad quod dicit respectum, hoc est, per Sacramentum præteritum? Pro- fectò sic character non erit signum Sacra- menti præteriti, sed magis ipsum Sacra- mentum præteritum, signum caracte- ris.

Interrogo rursum; quomodò potest ens rationis dici indelebile, cum tantùm existat per intellectus fictionem, quæ facillimè evanescit? Denique quid fuit opus Eccle- siæ definitione, si character solùm est re- latio rationis? quis enim hereticorum nega- ret ex præterita susceptione Baptismi, Con- firmationis & Ordinis resultare hujusmodi denominationem? Imo quis Catholicorum negabit similem non resultare ex suscepio- ne cuiusvis Sacramenti? Et tamen constat non omnia Sacramenta imprimere caracte- rem, licet per Matrimonium v. g. depu- tetur quis ad multiplicationem prolium Ecclesiæ, & accipiat speciale jus ad haben- da auxilia divina in ordine ad statum conjugalem.

Nec dici potest, hereticos solùm dam- natos esse, quia negaverunt characterem indelebilem; quippe (ut supra dixi) relatio omnium Sacramentorum est indelebilis, & exceptis Anabaptistis alij asserunt Baptif- mum

Scotus

Ex ratione

122.

Quo sensu sint dam- nati heretici.

Scotus

Ostenditur secundò.

121.

Probatio conclusio- nis ex Florent. & Trid.



123.

num sine sacrilegio iterari non posse.

His accedit, quod eadem facilitate liceret interpretari Concilium Trident. quando definit sess. 6. c. 7. iustitiam inhærentem nobis infundi, de simili denominatione & favore seu deputatione, quâ Dei seu Christi iustitia nobis imputetur, quod ab omnibus habetur hæreticum, aut saltem hæresi proximum, ut traditur in materia de Justificatione. Quapropter sententia Durandi videtur esse contra mentem Conciliorum, si non omnino clarè expressam, quin ab hæresi possit excusari, prout multi eam excusant; saltem rationabiliter præsumptam: aliàs enim non esset minus probabilis, sicut ab omnibus vocatur; quippe seclusâ auctoritate Ecclesiæ, nihil cogit asserere formam illam physicam, quam non ponimus in Doctore, Prætorè & alijs; sed sufficeret entitas moralis, sicut etiam in Clerico primæ Tonsuræ.

124.

Qualiter ad argumenta pro conclusione allata possit referri.

Et verò ad argumenta, in contrarium jam allata, possit quis respondere. Ad primum, illud ens rationis abundantissimè refutatur hoc ipso, quo Deus decrevit neminem valide suscipere vel conficere Sacramenta, nisi qui baptizatus vel ordinatus fuerit, & nemini regulariter atque ex opere operato conferre auxilia specialia ad professionem fidei, nisi fuerit confirmatus: sicut ex hoc, quod Deus voluerit Davidem regere populum suum in temporalibus, dicitur illi contulisse dignitatem regiam; & quemadmodum ex simili deputatione ad certos actus dicitur alicui conferri Doctoratus: atque (ut utar exemplo Durandi supra) sicuti nummus ex institutione humana per solam relationem rationis accipit rationem pretij. Quod autem additur *ly imprimere*, significare actionem realem, posset negari, & dici solum importare majorem firmitatem.

Ad secundum & tertium, patet per entitatem illam moralem dici quempiam signari, & tanquam per signum ab alijs distingui; sicut Doctoratus est signum distinctivum à cæteris, licet secundum se præcisè non sit cognoscibilis, utpote ens rationis, sed solum per aliquod insigne, v. g. quod Doctores gestant; vel per actus, quibus Doctoratus fuit collatus; & sic character etiam cognosci potest mediante Sacramento, per quod confertur.

Confirmatur ex Scoto & Magistro supra citatis conclusione 5, qui dicunt etiam ipsi in Sacramento Baptismi dici posse signaculum & characterem; & tamen à Sacramento præcisè non denominatur homo signatus, nisi extrinsecè.

Ad quartum, dicitur illam potestatem moralem, seu characterem esse indelebilem, quia à nullo homine potest auferri, vel impediri quò minus validè exeat in actum.

Neque magis difficile erit respondere ad ultimum argumentum, si (quod verissimum est) consideremus hæreticos (ut refert Bellarminus & alij qui tractant de controversijs in materia Sacramentorum, & ex ijs Vasq; supra) non solum negare Confirmationem & Ordinem esse Sacramenta, sed etiam dicere per Ordinem nullam conferri potestatem ad Sacramenta conficienda; imò Sacerdotem posse fieri laicum, adeoque Sacerdotium non esse indelebile, sed esse instar Doctoratus v. g. vel alterius dignitatis amissibilis.

Et quamvis admittant Baptismum esse Sacramentum: non tamen in sensu Catholicorum; sed solum, quia est signum ad fidem in nobis excitandam, aut signaculum iustitiæ per fidem acquisitæ, ut retuli & refutavi in præambulo primæ sectionis; & sect. 4. conclus. 1. Porro longè aliter sentit Durandus; non enim tantum admittit Ordinem ac Confirmationem esse vera Sacramenta, sed etiam docuit per Baptismum ac Ordinem acquiri potestatem validè suscipiendi ac conficiendi Sacramenta indelebilem, & quæ à nullo homine impediri possit; & similiter per Confirmationem conferri dignitatem militiæ Christianæ; seu potestatem & auxilia ad defendendam ac profitendam fidem. Solum itaque contendit eam non consistere in aliqua forma physica & reali, sed in quodam ente morali, quod ipse vocat & reverà est ens rationis; quamvis nos contendamus illud ens morale annexum esse enti cuidam physico, quod vocamus characterem. Non ergo sententia Durandi coincidit cum sententia hæreticorum.

Ad illud quod adijciebatur: ratio disparitatis assignatur ex diversitate errorum, qui in supradictis definitionibus Tridentini condemnantur; cum enim hæretici assererent nullam homini intrinsecam esse iustitiam, sed homines tantum esse justos per fidem specialem; quia nimirum si crederent firmiter Christum sufficienter pro nobis satisfecisse, & nos per ejus merita justos esse, Christi iustitia seu Dei eis imputaretur, & peccata non imputarentur; Concilium definiens nobis infundi iustitiam seu gratiam sanctificantem, & quidem unicuique propriam, non potuit intelligi de sola imputatione externa; alioquin nihil diceret contrarium opinioni hære-

Quomodo sententia Durandi non coincidat cum hæreticorum.

125.

**Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 8. 97**

hæreticorum. Cùm autem definit nobis per Sacramenta quædam imprimi characterem indelebilem, sufficienter condemnat hæreticos, etsi solum intelligatur loqui de dignitate morali, quam hæretici negant. Et fortè ideo non facit mentionem de aliqua entitate reali physica, quia hæc erat controversa inter Doctores Catholicos.

Hucusque pro opinione Durandi, quam proinde non censemus dignam aliquâ graviore censurâ, sed solum esse minus probabilem.

126. *Trident.* Quin etiam alicui videri posset, ipsi favore Concilium Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali n. 3. dicens: *Si quis Ada peccatum, quod origine unum est, & propagate, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c.* Quâ putas inexistentiâ? utique morali tantum; quippe secundum communiorum Theologorum sententiam, peccatum originale nihil aliud est, quam nostrum in Adamo peccatum actuale morali existentia in nobis à natura manens; ergo nec impressio characteris necessariò intelligi debet de impressione physica.

Confirmatur: quia Rex dicitur accipere seu recipere potestatem à Deo vel Republica; potestatem (inquam) non physicam, sed moralem; ergo similiter posset intelligi recipi & imprimi character non physicus, sed moralis.

Non favet Durando Trid. in decreto de peccato originali.

127. *Gen. 1.* Respondeo negandò consequentiam: quia significatio verborum debet colligi ex subiecta materia, quæ si fuerit talis, ut non sit capax nisi significationis translative vel analogicæ, in ea debent intelligi verba simpliciter prolata; ut cùm dicitur Genesis 1. v. 2. *Tenebra erant super faciem abyssi; ly erant accipi debet in sensu analogico de existentia impropria; quia tenebra; utpote privatio luminis, non sunt capaces propriæ existentie.* Quando verò materia est capax propriæ significationis, verba simpliciter prolata accipienda sunt in sensu proprio, nisi aliquid obstat.

Ad propositum: constat peccatum originale, item potestatem regiam solum esse entia moralia. Quando ergo dicuntur alicui inesse aut inexistere, debet id necessariò intelligi de inexistencia morali; quia ens morale incapax est inhesionis physicæ: at verus & proprius character est signum aliquod physicum & reale, adeoque capax physicæ impressionis. Igitur verba Conciliorum simpliciter prolata intelligi debent de physico characterem, ejuque physica impressione; sicut quando dicitur anima in purgatorio vel in inferno pati dolorem, non

intelligimus de dolore morali, sed physico, quia materia subiecta est capax propriæ significationis.

Itaque colligendo & quasi in synopsi totam doctrinam ob oculos proponendo, censeo characterem esse ens physicum, spirituale, impressum à Deo immediatè in susceptione Sacramenti, quò anima signatur, immò & perficitur, non tantum moraliter, verum etiam physice, quemadmodum per alias virtutes tum naturales, tum supernaturales: cumque forma absoluta ex genere suo sit multò perfectior quàm quæcumque relatio, persistimus in conclusione, quæ nunquam displicuit Doctori Subtili, esto resolutivè tenuerit ut problema, characterem esse formam absolutam vel relationem realem extrinsecam. Et quoniam non designavit speciem relationis in qua collocanda esset, dico reduci posse ad prædicamentum passionis, tanquam respectus tranmutati ad tranmutans: puta Filij familias ad Patrem, Militis ad Ducem, Præfecti ad Imperatorem.

Profectò vel ex hoc solo satis liquet Doctorem nostrum probabiliorum existimasse sententiam communem, quæ affirmat characterem esse formam absolutam. Etenim genus ejus & speciem discretis verbis explicat 4. dist. 6. q. 10. n. 13. dicens: *Sed si ponatur forma absoluta, necesse est dicere, quod pertineat ad genus qualitatis.* Et n. 15. ibi: *Respondeo, quod si ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima; nec alterum istorum potest evidenter improbari.* Hinc erit

**CONCLUSIO IX.**

**Character est qualitas, & quidem tertiæ speciei si sequamur hodiernam divisionem; secundæ verò vel primæ, si Aristotelicam.**

128. **P**rima pars probatur à sufficienti enumeratione; siquidem nec est substantia, nec quantitas, ut patet ex definitionibus Conciliorum, quæ dicunt characterem inherere animæ, adeoque indicant esse accidens spirituale, sicut subiectum cui inheret: nec est relatio prædicamentalis, vel extrinsecus adveniens, qualia sunt sex ultima prædicamenta; ergo est qualitas.

129. Pro intellectu secundæ & tertiæ partis, suppono ex Philosophia, recentiore Philosophos in prima specie qualitatis constitutere

N omnes

127.

Scimus

128.

Probatio primæ partis à sufficienti enumeratione.

129.

Notanda moderna qualitas divisione.

omnes & solas qualitates, quæ per se primò ordinantur ad tribuendam facilitatem, seu etiam complementum operandi; in secunda verò, quæ dant primam operandi facultatem accidentalem; in tertia, quæ per se primò substantiam in essendo perficiunt; denique in quarta specie, quæ terminant quantitatem.

Notanda etiam divisio Aristotelis;

Sed Aristoteles non ita divisit, posuit siquidem primam speciem qualitatis habitum vel dispositionem, & sub ijs intellexit omnem qualitatem secundum quam aliquo modo disponit ad operandum: quo pacto dicit sanitatem & pulchritudinem esse in prima specie qualitatis, cum tamen non sint qualitates simplices, sed aggregatum ex pluribus. Distinguit autem habitum à dispositione, quòd hæc facilè, ille difficulter sit amovibilis. In secunda specie posuit potentiam vel impotentiam, seu principia prima ad operandum vel recipiendum, aut certè ad resistendum operationi vel susceptioni. Tertiam speciem constituit Aristoteles qualitatem patibilem, id est, eam, à qua sensus pati potest, five quæ sub sensum cadit.

Licet non sit adæquata; ut indicat Scotus.

Unde hæc doctrina Aristotelis non est accurata, ut notant plerique hodierni Scriptores, & indicat Scot. supra n. 14. ibi: *Verumtamen illud posset habere aliquam probabilitatem de una alia forma: quia secundum veritatem illa divisio (scilicet Aristotelis quam sequitur Scotus in illa quæstione) qualitatis in quatuor species non est propriè generis in species, sed est tantum secundum quosdam modos diversos convenientes diversis qualitibus. Et forte eidem qualitati in se secundum essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diversis qualitibus.*

130. Character, utpote non physicè activus, non est primæ vel secundæ speciei

Hoc supposito, ostendo secundam partem conclusionis: character non est primæ vel secundæ speciei; quia istæ qualitates naturæ suæ ordinatæ sunt ad physicè operandum; ille verò nullam habet physicam activitatem, ut communiter omnes admittunt; non enim respectu gratiæ, utpote quæ à Deo, vel solo (ut probabilis est) vel mediante Sacramento tanquam physico instrumeto (ut quidam volunt) infunditur: neque respectu Sacramenti, quippe rota actio sacramentalis poni potest ab eo, qui characterem non habet, & circa eum, qui similiter non habet: Ita enim (ait Doctor supra n. 7.) *posset non baptizatus ungi chrismate sicut baptizatus, & ita posset abluere sicut baptizatus.*

131. Non etiam quartæ ob rationem Scoti.

Certum quoque est non pertinere ad quartam speciem: quia (ut inquit idem n. 14.) *nil collocatur in genere per proprietates me-*

*taphoricas; quia alioquin Christus esset verè in genere substantiæ inanimata, quia dicitur petra (1. Cor. 10.) & esset in genere animalis irrationalis, quia (Apoc. 5.) leo dicitur metaphoricè: & in genere qualitatis, quia dicitur lux (Joan. 8.) Ego sum lux mundi. Constat autem characterem non nisi metaphoricè dici figuram, cum sit accidens spirituale; figura verò materiale, consequens quantitatem. Ergo à sufficienti iterum enumeratione, oportet sit qualitas tertiæ speciei, perficiens hominem in esse supernaturali.*

Tertiam partem conclusionis expressit Scotus supra n. 15. *Respondeo ergo, quòd si ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima. Ubi etiam respondet argumentis in contrarium, ut videbimus, præmissa probatione, quæ est talis: Character licet non sit propriè activus, aliqualiter tamen disponit suum subjectum ad agendum vel recipiendum, cum sit quædam moralis potentia, in hoc similis habitui & dissimilis potentiæ physicæ, quòd non dimanet ex principijs intrinsicis hominis; in hoc dissimilis habitui & similis potentiæ, quòd non supponat aliud principium actuum accidentale.*

Declaratur: character Baptismi non solum est potentia passiva moralis, quatenus quisquis non est eo insignitus invalidè suscipit reliqua Sacramenta; & character Confirmationis, quatenus minùs ordinatè sine eo suscipiuntur aliqua Sacramenta: sed etiam omnes tres characteres habent rationem potentiæ activæ moralis, quatenus conjuncti cum gratia sacramentali, exigunt specialia auxilia gratiæ, cum quibus homo ritè obeat munus, quod per characterem suscipit; & quatenus requirunt, ut tentationes internæ vel externæ, vel impediatur, vel certè minuatur.

Character etiam Baptismi specialiter habet rationem potentiæ activæ respectu Sacramenti Matrimonij; quia nisi minister hujus Sacramenti (qui sunt ipsi contrahentes) fuerit insignitus hoc characterè, non efficit Sacramentum. Similiter character Ordinis Presbyterij ita habet rationem potentiæ activæ respectu Sacramenti Pœnitentiæ seu Absolutionis, & Extreme Unctionis, ut sine eo nihil efficiatur: quamquam habeat rationem potentiæ passivæ respectu Sacramenti ordinis Episcopalis, quod ex communiori sententia invalidè suscipitur à non Sacerdote. Et hanc veritatem indicat Nazianz. orat. ad S. Lavacrum, quando dicit, Baptismum esse sigillum, quo conservatur fideles; conservatio quippe causalitatem aliquam, saltem moralem, & operationem denotat.

Similiter

132. Probatio tertiæ partis Conclusionis ex Scotio.

Quæ ratione characteres habeant rationem potentiæ activæ moralis.

Hæc veritas colligitur ex Nazianz. 100.

Sect. 4. De Causa & effectu Sacram. Concl. 9. 99

Ambrosio, Similiter D. Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. Spiritu (inquit) signamur, ut splendorem atque imaginem eius & gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum.

Catechismo Romano, Pari modo loquitur Catechismus Romanus de Sacramentis in genere & per. Characterem (inquit) Confirmationis veluti Christi milites ad eius nominis publicam confessionem & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem & spiritualia nequitia in caestibus armamur atque instruimus. Accedit, quod character delervat, ut Angeli, eo viso, specialem curam habeant illuminandi, protegendi & gubernandi, quos vident habere signum Dei in frontibus suis. Sic enim dixit Basilius Oratione 13. Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?

133. A quibus non differt Scotus tribuens characteri potestatem ministerialem. Ab his non dissentit Scotus, quando supra n. 7. & 8. tribuit characteri potestatem ministerialem (ut vocat) hoc est, per quam aliquis sit conveniens minister alicuius principalis agentis, & sine illa potestate non esset conveniens minister principalis agentis. Potestas (inquit) ordinandi & confirmandi si est activa, non est nisi ad ministrandum convenienter in tali actu, tali domino, ut ipse ad actum ministerialem huiusmodi assistat, operando principaliter, eo modo, quo non assisteret simili ministerio exhibitio ab alio. Character autem baptismalis, si ponitur potestas passiva, non ponitur passiva, nec ut receptiva, neque ut ratio recipiendi: nihil enim absolute potest recipere anima baptizati, quod non possit recipere anima non baptizati: sed est potestas quadam relativa de congruo ordinata à principali agente, disponente agere in passum habens talem formam, & non in aliud passum. Ita Doctor; quamvis subjungat: Talis autem forma relativa de congruo respectu alicuius agentis principalis voluntarie potest esse sola relatio: sicut aliquis disponit agere aliquid in aliquem, quia filius, vel quia consanguineus, volens aliquid simile causare in non habente talem relationem.

Et superius dixerat: Talis potestas (ministerialis) non oportet quod sit forma absoluta: immo sufficit in multis, quod sit tantummodo relatio rationis. Probat exemplo iudicis, qui si ferat sententiam, sententia tenet: prius autem non tenuisset, quia sententia à non iudice lata, nulla est ipso iure; nec tamen ille iudex.... habet aliquam formam absolutam realem, nec forte relativam, nisi tantum rationis, quam prius non habebat. Per illam enim relationem rationis, quâ ipse à principe instituitur iudex, voluntas principis ratificat sententiam ab eo latam, & vult illam observari.

134. Et hæc fortassis dederunt occasionem Vasquezio dicendi (ut supra vidimus) sen-

tentiam Doctoris in re esse opinionem Durandi. Sic ex uno verbo imperfectè lecto (subdit enim actutum: Multo magis posset relatio realis, si inesset, poni talis potestas convenienter exequendi ministerialiter aliquem actum) & malè intellecto (nam Doctor ibi tantum refutat tertiam rationem Divi Thomæ pro forma absoluta) aliqui captare videntur opportunitatem mentem Doctoris Subtilis in pejor interpretandi: in hoc sanè Scotus intelicior Doctore Angelico, circa quem ordinariè valde solliciti sunt; ita etiam quod nuper quidam neotericus Scriptor imperium intellectus, quod ipse asserit esse fictitium & superficium, illud (inquam) imperium Thomisticum, ausus fuerit imponere humeris Doctoris Subtilis, cum tamen omnes Scotista cum suo Magistro clamènt contrarium, & quotidie publicè defendant, quibus defensionibus non est dubium illum Auctorem sapienti interfuisse. Unde etiam neque distinctionem; neque questionem; neque verba Doctoris, quibus id doceat, allegat; nec potuit, quia non sunt. Libenter cogitarem mendosam esse impressionem, & legendum pro Scoto, Soto, qui fuit sectator D. Thomæ; sed prohibet benignam interpretationem, quod in calce libri, cuius titulus de Deo Uno & Trino, scriptum reperio: Errata, quæ paucula hinc inde irrepserunt, in ipso textu manu correctæ sunt. Vidi autem duo exemplaria, in quibus nulla manus illum errorem satis notabilem correxerat. Spero, quod correctio in illis per oblivionem, aut inadvertentiam omiſsa sit.

Sed redeo ad principale, & dico, omnes effectus jam enumeratos, licet character non operetur physicè tanquam causa efficiens physica, operatur tamen moraliter, seu etiam per exigentiam quandam physicam. Enimverò sic est signum potestatis, ut simul sit ipsa potestas, vel (ut loquitur Cardinalis Lugo hæc disp. 6. sect. 3. num. 46.) quasi scriptura, & instrumentum potestatis traditæ per Sacramentum. Probat à simili: ille qui obtinuit à Pontifice aliquam gratiam, secundum multos, habet jam facultatem, quâ possit uti etiam ante bullæ expeditionem in foro conscientie; ipsa tamen expeditio bullæ dat novum titulum & novum jus, sicut etiam scriptura venditionis confirmat jus, quod emptor ex ipso contractu acquisierat. Sic character est quasi bulla, seu sigillum divinum, quo Deus testificatur & proficitur potestatem & jus, quod homo per Sacramentum acquisivit.

Vasquez.

Malè imperium Thomisticum quidam Scoto imposuit

133. Character operatur effectus moraliter,

Lugo.

adeoque impressio sigilli dat novum jus ad exigenda ea omnia, quæ ex Sacramento suscepto debebantur, etsi Deus characterem impedivisset: & hoc sufficit ut character aliquo modo dicatur esse potentia.

Sed contra jam dicta arguitur primò: Character est qualitas supernaturalis; ergo non oportet quòd ponatur in genere qualitatis, nisi fortè reductivè. Probatur consequentia: quia naturale & supernaturale plus differunt, quàm corruptibile & incorruptibile; quia hæc continentur sub uno membro, scilicet sub naturali; & tamen Philosophus 10. Metaph. dicit: *Corruptibile & incorruptibile differunt plus, quàm secundum genus.*

136.  
Objectio ex  
ratione &  
Aristotele

Solvitur.  
Scotus.

Respondeo negando consequentiam: quippe (ut bene advertit Scotus supra n. 14.) *Fides, Spes & Charitas sunt supernaturalia quadam: & tamen conceduntur esse proprie in genere qualitatis.* Ratio est: quia qualitas supernaturalis convenit univocè in ratione qualitatis cum qualitate naturali. Etenim (inquit ibidem) *naturalitas & supernaturalitas non sunt conditiones, nisi per comparationem ad agens: talis autem comparatio non variat aliquid quantum ad esse in genere: quia aliquid ponitur in genere secundum suam propriam quidditatem formalem, circumscripta relatione ad agens.*

Et respondens ad auctoritatem Philosophi, prosequitur: *Nec valet dictum Philosophi 10. Metaph. quia loquitur de genere physico; hoc est, de subiecto; sic enim nulla duo sunt eiusdem generis, nisi sint transmutabilia ad invicem, id est, nisi possint verari circa idem subiectum: sed idem genus logicum bene potest continere multa, quæ non pertinent ad idem genus physicum, ut patet de substantia corporea & incorporea, & de qualitate corporali & spirituali.*

137.  
Sententia  
Scoti quoad  
distinctionem  
qualitatis  
naturalis &  
supernaturalis

Ex quo incidenter colligo, quomodo intelligendum sit, quod ait Doctor 4. dist. 10. q. 8. n. 9. *Contra rationem etiam ipsius responsionis de supernaturali, arguo sic: quia naturale & supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantum in comparatione ad agens: ideo enim dicitur aliquid supernaturale, quia à supernaturali agente, naturale vero quia à naturali agente; sed habitudo ad agens aliud & aliud non necessario concludit aliquid esse aliud & aliud in se; quantum ad esse in genere entis creati: ergo non necessario concludit illud esse aliud & aliud in ratione intelligibili: quia nimirum præsentia Christi in Sacramento (de qua ibi loquitur) licet sit supernaturalis & specie distincta à naturali, nihilominus intelligi potest secundum ipsum ab intellectu creato, qui*

amplius non dependet à phantasmate; siquidem ens supernaturalis est verum ens creatum aliquando imperfectius ente naturali, quod ab intellectu percipitur: sicut (inquit) *omnis substantia est perfectior omni accidente, & tamen alicui substantia, quæ est ens naturale, potest inesse accidens aliquid supernaturale.*

Docet igitur ens supernaturalis per supernaturalitatem non poni extra latitudinem entis creati, & per consequens entis intelligibilis ab intellectu, qui non est alligatus sensibilibus in intelligendo. An autem ens supernaturalis distinguatur specie physica & essentiali ab ente naturali, ibi neque asserit, neque negat. At distinguì, palam fit ex loco supra citato 4. dist. 6. q. 9. n. 14. ubi comparat qualitatem naturalem & supernaturalem substantiæ corporeæ & incorporeæ, qualitati corporali & spirituali; absque dubio autem illa specie physica & essentiali differunt, quamvis collocentur sub eodem genere prædicamentali.

Quin immò disertis verbis explicat illam distinctionem 3. dist. 27. n. 21. ibi: *Ad quartum dico, quòd non potest acquiri ex actibus (charitatis) aliquis habitus eiusdem speciei cum charitate, licet possit acquiri aliqua amicitia tendens in Deum sub eadem ratione obiecti, & etiam per actum similem; quia super omnia diligendo. Rationem adjungit: Quicumque enim natura non potest esse ab aliquo efficiente eiusdem speciei cum efficiente alterius, non est eiusdem speciei cum illa alia, sicut est in proposito. Quomodo clarius potuisset suam mentem significare? ut mirum sit quosdam ipsum velle adducere pro contraria sententia propter locum citatum ex 4. dist. 10. q. 8. n. 9. & alium quodlibeto 17. ubi tamen (ut advertit scholium præfixum n. 6.) nihil resolvit, sed hinc inde disputat; non ita de distinctione specifica actus naturalis & supernaturalis, quàm actus naturalis & meritorij. Liqueo porro non omnem actum meritorium debere esse supernaturalem in substantia secundum ipsum.*

Quidquid sit sive distinguantur specie, sive non; propter supernaturalitatem non oportet characterem rejicere à genere & specie qualitatis; quia etsi (inquit Scotus supra dist. 6. q. 10. n. 15.) Philosophus non loquebatur, nisi de potentia naturali, exemplificando: tamen potentia supernaturalis, si est absoluta & accidentalis & spiritualis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali; sicut & habitus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali.

Omitto nonnullos asserere, characterem esse

Scotus.

138.  
Sive distinguantur, sive non, haud rejiciendus character à genere, & specie qualitatis.  
Scotus.

139.  
Difficultet ostenditur

characteris  
supernatu-  
ralitas in  
substantia.

esse qualitatem naturalem. Et sanè difficul-  
ter ostenditur ejus supernaturalitas, maxi-  
mè si verum est, quod multi docent, &  
videtur sentire Doctor supra n. 5. in fine,  
characterem esse signum solum ad placitum  
ex institutione divina. Enimverò sicuti  
Deus res naturales, v. g. ablutionem & cer-  
tam formam verborum, instituit signa effi-  
cacia gratiæ habitualis, quidni etiam potuis-  
set entitatem naturalem assumere, ut esset  
signum potestatis vel Sacramenti suscepti?  
Equidem omnes consentiunt in hoc, quòd  
sit entitas supernaturalis. An in substantiã,  
an verò tantum in modo? Qui eligeret su-  
pernaturalitatem tantum in modo, nescio  
quomodo efficaciter redargueretur. Con-  
nectitur quidem character cum gratia, cum  
Sacramentis & alijs effectibus supernatura-  
libus: sed quid tum? Nunquid & Sacra-  
menta habent connexionem cum gratia &  
beatitudine? Quis ambigit? Et tamen ex-  
perientia & ratio dicat ablutionem v. g.  
unctionem, locutionem & similes actiones  
non excedere virtutem naturalem cause  
creatae.

140.  
Non rectè,  
quia solum  
est instru-  
mentum,  
reijciatur  
character à  
linea prædi-  
camentali.

Porrò quòd aliqui rejiciunt characterem  
à linea prædicamentali; eo quòd solum sit  
instrumentum, non indiget novà refutati-  
one; jam enim ostendimus characterem nul-  
lam habere physicam activitatem; adeoque  
non esse instrumentum physicum: instru-  
menta autem moralia clarum est directè  
posse esse in prædicamentis; immo nec ap-  
paret cur ab eis rejiciantur instrumenta  
physica.

141.  
Objectio ex  
Scoto

Majorem habet difficultatem quòd se-  
cundo loco sibi objicit Doctor supra. n. 15.  
Si character est potentia supernaturalis: er-  
go non habitus; ergo non potest poni in  
prima specie qualitatis. Prima consequentia  
probatur per simile; quia potentia naturalis  
non est habitus naturalis. Respondeo cum  
ipso n. 16. negando primam consequentiam:  
Quia potest (inquit) habitus supernatu-  
ralis, ut est forma supernaturalis de difficili mó-  
bilis, esse principium agendi vel resistendi corru-  
ptivo; & sic habere rationem potentia superna-  
turalis. Nec simile illud valet, quia habitus na-  
turalis dicit quendam facilitationem inducere  
super potentiam naturalem; quia potentia natu-  
ralis est, quã naturaliter possumus actus, quos  
possumus: sed potentia supernaturalis potest esse  
atque supernaturalis forma, spiritalis, immo-  
bilis; & pro tanto potest dici habitus, & tamen  
est principium, quo possumus in eadem actum spi-  
ritualem vel supernaturalem.

Ex eodem  
solvitur.

Breviter: habitus naturalis datur ad faci-  
liter operandum; supernaturalis verò, qua-  
lis ponitur character, ad simpliciter: Vt patet.

(ait Scot. supra) de noviter converso, cui non  
est facile post conversionem actus bonos elicere,  
sed difficile, quousque ex frequentia actuum bo-  
norum acquirat aliquam virtutem acquisitam.  
Ex quo etiam oritur, quòd habitus su-  
pernaturalis instar potentia inclinet in actus  
specie distinctos; habitus autem naturalis,  
secundum multos, non facilius nisi ad uni-  
cum specie actum, à quo genitus est.

Arguitur tertio: Character est dispo-  
sio ad gratiam; ergo non est habitus. Res-  
pondet Doctor supra negando consequen-  
tiam; quia bene potest unus habitus esse dispo-  
sio ad alium: sicut, secundum distinguentes ha-  
bitum principij ad habitum conclusionis, habitus  
principij disponit ad habitum conclusionis: nec  
per hoc est dispositio, ut distinguitur contra ha-  
bitum in prima specie: nam illa est qualitas de  
facile mobilis per oppositum ad habitum.

142.  
Objectio  
tertia,  
Solutio  
Scoti.

Arguitur quarto: Omnis habitus dispo-  
nit ad bene vel malè agendum. Ethic. sed  
character non. Respondet Scotus supra, ne-  
gando antecedens: quia aliquis potest esse actus  
indifferentis, sicut enim ex frequenter bene agere  
acquiritur habitus inclinans ad bene agendum,  
& ex frequenter malè agere inclinans ad malè  
agendum; sic ex frequenter agere absolute, ac-  
quiritur habitus ad agendum tali actione, neque  
cum bonitate, neque cum malitia: sicut nec  
actus generativus fuit talis, scilicet bonus vel ma-  
lus. Hoc patet: potest enim aliquis frequenter  
considerans geometriam habere facilitatem ma-  
gnam ad considerandum conclusionem in illa sci-  
entia: nec est ibi habitus bonus vel malus, sicut  
nec actus, ex quo generatur: sic & in habitu  
supernaturali potest esse.

143.  
Objectio  
quarta,  
Resp. Scoti.

In quibus postremis verbis innuit, possi-  
bile esse habitum & actum supernatura-  
lem indifferentem; quod docet noster R.  
P. F. Franciscus Felix Lector Compluten-  
sis Jubilatus Tomo 1. Tentativæ Complu-  
tensis Tract. de Bonitate & Malitia cap. 8.  
diffic. 2. n. 2. Mea (inquit) sententia nul-  
lum invenit inconveniens, ut possit dari  
actus supernaturalis indifferens secundum  
speciem, tam ex objecto motivo, quam  
terminativo indifferente. Et diffic. 3. n. 19.  
idem asserit de habitu supernaturali indiffe-  
renti in individuo. Addit, se neminem in-  
venisse pro hac opinione præter Ripaldam

144.  
Possibile  
esse habi-  
tum &  
actum su-  
pernatu-  
rem indiffe-  
rentem in-  
nuit Scotus,  
Fran. Feix.

Ripaldam.

de Ente supernaturali disp. 69. sect. 2. Cre-  
do quòd non legerit locum citatum Do-  
ctoris Subtilis; cujus alioquin mentem in  
omnibus accuratè explicat & defendit.

Porrò probationem hujus doctrinae re-  
mittimus ad Tractatum de Actibus huma-  
nis; sufficiat hinc eam insinuasè occasione  
verborum Scoti; qui tamen non docet de  
facto talem habitum vel actum dari: nam

145.

Non tamen  
de facto ta-  
lem habi-  
tum vel  
actum dari.

Scitur.

statim replicans post verba citata: *Et si dicas, quod habitus supernaturalis non est talis, quia datur ad perfectionem recipientis. Respondet: Habitus supernaturalis potest esse disponens ad actum bonum, licet non sit eius principium elicivum proximum vel sufficiens: & hoc modo fides infusa non est principium sufficiens (se solâ) elicivum actum credendi, nec charitas infusa elicivum actum diligendi; sed inclinât (coëfficiendo) ut concurrentibus alijs necessarijs actus bonus elicatur: & ita dico, quod aliquis habitus supernaturalis potest remotius & imperfectius, non coëfficiendo physicè, sed objective movendo causam physicam, inclinare ad actum bonum; & talis ponitur character tanquam primò & remotissimè disponens ad actus bonos. Ergo ex mente Doctoris de facto non tantum fides & charitas sunt habitus boni, quia inclinant ad actum bonum; sed etiam character: quippe Sacerdos v. g. si cætera requisita ad sint, nunquam invalidam efficit consecrationem; ipsa quoque consecratio ex objecto suo bona ac honesta est, quàmvis ex circumstantijs moraliter possit vitari, quemadmodum etiam actus fidei, spei ac charitatis, ut suo loco ostendemus.*

His ita constitutis de causalitate & effectibus Sacramentorum, accedo ad ultimam controversiam hujus Sectionis, quæ versatur circa tempus, quo Sacramenta conferunt suos effectus. De hoc tempore varia varij commentantur: hæc autem est nostra opinio:

### CONCLUSIO X.

Sacramenta tunc solum conferunt gratiam habitualem (eadem est ratio de characterè) quando post realem sui susceptionem completè significant: auxilia verò specialia tempore opportuno, dummodò gratia habitualis non sit amissa.

146. Sacramenta non conferunt illum effectum ex opere operato ante realem sui susceptionem.

Suppono Sacramenta non conferre illum effectum ex opere operato, antequam realiter suscipiantur: siquidem, ex communi sententia, opus operatum significat opus applicatum sive exhibitum; atqui votum v. g. Baptismi, non est Baptismus applicatus sive exhibitus; ergo gratia justificans, quæ subinde acquiritur per votum Sacramenti, si videlicet sit perfecta contri-

tio vel formalis amor Dei super omnia, non confertur ex opere operato; sed ex opere operantis, tanquam meritum congruum aut condignum. Patet: quia alioquin etiam character imprimeretur, cum sit effectus immediatior, & disponens (ut dictum est) ad gratiam habitualem, quod tamen à nemine admittitur, ne cogatur consequenter asserere, Catechumenum post votum Baptismi non posse re ipsâ baptizari; ratio namque, ob quam Baptismus iterari non potest, est, quod imprimat characterem indelebilem, qui non potest iteratò imprimi: ac proinde Baptismus esset liber, hoc est, non necessarius ad salutem, contrarium definiente Concilio Trident. sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

Adde, non omne votum Sacramenti (ut mox insinuaui) habere effectum gratiæ; docet etenim Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. contritionem imperfectam; etsi voluntatem peccandi excludat, adeoque etiam si includat votum Baptismi aut Pœnitentiæ, sine Sacramento realiter suscepto non justificare, ibi. *Et quàmvis (imperfecta contritio) sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit.* Quando ergo ibidem docet: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritum, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; non est intentio Concilij tribuere effectum gratiæ vel ipsi Sacramento, vel ejus voto, tanquam operi operato; sed contritioni perfectæ; quæ includit votum Sacramenti, tanquam operi operantis.*

Eodem modo explicat idem Concilium Sanctos Patres, qui subinde docent per desiderium Sacramenti v. g. Eucharistiæ, percipi fructum ipsius: ita enim loquitur sess. 13. cap. 8. *Quoad usum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum Eucharistiæ accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter; illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentiunt.*

Nota: *Fide vivâ, quæ per dilectionem operatur.* Dilectio ergo est, quæ velut meritum de condigno operatur in homine justo eandem seu similem gratiam ei, quæ acquiritur per Sacramentum re ipsâ susceptum; atque

147. Qualiter intelligendū Patres docentes per desiderium Sacramenti accipi illius fructum, explicat Trident.

atque adeo per votum Sacramenti aliquando accipitur effectus Sacramenti, non in ratione effectus (ut ita dicam) sed in similitudine naturae: quomodo quandoque dicimur acquirere effectum ignis per solem, nimirum calorem. Alij dicunt, per Sacramenta ante susceptionem non acquiri gratiam effectivè, sed objectivè solum; quod in idem redit, ac si diceret: Sacramentum est subinde objectum secundarium actus contritionis aut amoris Dei, quo merito efficitur vel augetur gratia sanctificans.

148. Dices: Convenit divinam misericordiam ita instituisse Sacramenta, ut per votum applicari possint, quando realis applicatio est impossibilis, ut ita humanae infirmitati & necessitati melius sit provisum: sicut etiam ante Christi adventum fides viva passionis ejus eam applicabat ad justificandos peccatores.

981. 113. Licet voto Sacramenti efficaciam gratia Deus auferre poterit, non sequitur quod voluerit. S. Aug.

Respondeo ex psal. 113. v. 11. Deus autem noster in caelo: omnia quaecumque voluit, fecit. Non dicit Psalmista: Omnia quaecumque potuit; non enim potentia Dei est ratio agendi ad extra, vel potius ipsa actio ad extra; sed voluntas. Attende quid dicat D. Aug. lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 10. Sed posset (inquit) etiam ipsorum (malorum hominum & Angelorum) voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est. Quis enim audeat (inquit idem Sanctus Doctor lib. 14. de Civit. cap. 27.) credere aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre: atque ita quantum mali eorum superbia, & quantum boni sua gratia valeret, ostendere. Potuit igitur Deus ita instituisse Sacramenta, ut illorum votum, etiam alienum, sufficeret ad effectum conferendum; & certè divina bonitas sic magis se ostendisset in necessitate parvulorum, qui per actum proprium nequeunt salvari. Num propterea fecit? Potuit velle efficaciter omnes homines salvos fieri: num propterea voluit? Quis audeat asserere? Non simus ingrati (inquit lumen Ecclesiae S. Aug. lib. de bono Persever. cap. 8.) quod secundum placitum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset iniustus: ex uno quippe omnes in condemnationem non iniustam iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiam diligit; qui non liberatur, debitum agnoscat.

149. Differentia inter passionem Christi,

Præstabat omnino: nam ex voluntate Dei à solo Christo debebat passio perferri pro omnium hominum salute; ita ut quantum erat ex parte sua, sufficeret ad omnes salvandos. Contra vitium originalis peccati (inquit S. Prosper in Responione ad primam objectionem Vincentianam) quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens ac singulare remedium est mors filij Dei Domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani; sanguis Christi redemptio est totius mundi.

At verò Sacramenta novæ legis à Christo instituta sunt, ut à singulis realiter suscipiantur; & ita ijs solum profunt, qui de facto ea realiter suscipiunt, quidquid nonnulli sine fundamento contradicant.

Venio ad conclusionem, cujus prima pars, scilicet Sacramenta conferre gratiam, quando completè significant, ab omnibus conceditur: tunc enim, & non antea, simpliciter appellari possunt Sacramenta: ergo tunc, & non antea significant, & suâ significatione efficiunt gratiam justificantem. Potuisset quidem gratia, si Deo ita placuisset, paulatim continuo, ac sic quodammodo successivè conferri, quamdiu continuatur actio sacramentalis à principio usque ad finem: de facto tamen sic fieri nullum omnino est indicium; alioquin qui moreretur post inchoatam formam Baptismi ante prolationem verbi baptizo, sive quo nondum est Baptismus; hic (inquam) salvari posset sine Baptismo & sine contritione; quippe minimus gradus gratia sufficit ad justificationem, ac consequenter ad salutem, ut omnes Theologi farentur, qui tamen pro absurdo habent illud consequens.

Si autem à me quaeritur, quandonam Sacramentum sit sufficienter completum? Respondeo facilè, quando post materiae positionem ita prolata est forma, ut suam habeat significationem, aut quando post formae prolationem materia censetur sufficere, v. g. sufficiens aqua applicata est corpori, ut quis dicatur lavari. Sed quando hæc sunt? An fortè in tempore, an putas in instanti? In tempore determinato, an verò in tempore indeterminato? In instanti extrinseco, an verò in intrinseco? Quaestio intricata, quæ plurimorum torset ingenia, & plurima folia atramento denigravit, inutilis planè in ordine ad praxim; ideoque,

si ante exhibitionem per fidem vivam applicam. & Sacramenta. S. Prosper.

150. Sacramenta conferunt gratiam, quando completè significant.

Quando sunt sufficienter completa.



ideoque, longiorem discussionem Philosophis, quibus propria est, relinquendo, tribus verbis sic eam perstringo.

151.  
Quando conferatur gratia, si continuum successivum componatur ex totis instantibus sibi mutuo immediatè succedentibus.

In primis si continuum successivum componatur ex solis instantibus sibi mutuo immediatè succedentibus, res est plana; videlicet gratiam conferri in ultimo instanti intrinseco, hoc est, in illo instanti, in quo ultima syllaba v. g. verborum incipit intrinsecè esse prolata, ita ut faciat perfectum sensum, id est, ut verum sit dicere: Sacramentum jam est, & immediatè ante non fuit; quippe in hac sententia, omnia entia etiam successiva, inciperent & desinerent in instanti intrinseco.

152.  
Quando, si componatur ex divisibilibus sine fine. Sententia prima.

In alia autem sententia, quæ componit continuum ex divisibilibus, sive ex partibus majoribus & minoribus sine fine, meritò dubitatur. Communius dicitur Sacramenta, quæ in actione transeunte consistunt, producere gratiam in instanti extrinseco Sacramenti, seu quod est primum non esse actionis sacramentalis, quando verum est dicere: jam non est Sacramentum, & immediatè ante fuit. Fundamentum unicum est, quòd videantur Sacramenta debere conferre effectum in aliquo instanti; nam gratia, utpote ens permanens, non potest incipere nisi in instanti, idque sibi intrinseco; ens autem successivum (quale est actio sacramentalis) non completur nisi in instanti sibi extrinseco, quippe post quodlibet instans intrinsecum sequitur adhuc pars.

Objectio contra illam.

Sed contra: Cùm antecedenter existat Sacramentum, ut quid differtur ejus operatio? Certè si hæc sententia foret vera, sequeretur ritè dispositum posse recipere Sacramentum informe, si nimirum instans extrinsecum Sacramenti esset etiam idem instans extrinsecum vitæ hominis recipientis; nullus siquidem justificatur post mortem, qui usque ad illam fuit in peccato mortali. Similiter peccans in isto instanti extrinseco, non reciperet gratiam, etsi totum Sacramentum dispositus recepisset.

Sententia secunda.

Nec magis vera apparet opinio asserens effectum conferri in ultimo instanti terminativo intrinseco: nam esto talia instantia dentur, sicut & copulatia, quod utrumque valdè incertum est; cur Sacramentum non potiùs aget in parte sui essentiali, quàm in termino? Deinde, quid si in isto termino quis peccaret, nonnè careret gratiâ, etsi totum Sacramentum dispositus recepisset?

153.  
Entia permanentia, licet in instanti ordinariè producantur, quando causa suf-

ficiens est, & nullum reperit impedimentum; reverà tamen in tempore incipere posse & finire. Ratio est manifesta: quia eadem res, quæ hoc instanti intrinseco incipit existere, continuatur integra & tota simul, quantum est ex parte sua, in ea temporis parte, quæ hoc instans immediatè consequitur, idque per eandem prorsus actionem (saltem communiter) quæ incipit: si ergo res eadem antea extitisset, & in hoc instanti esset destructa, cur non posset actio illa (atque aded illa res) poni immediatè post hoc instans, & vocari prima productio; siquidem immediatè ante res non erat; & etiam conservatio, quatenus intelligitur interim aliquid temporis effluxisse, & sic ipsa ex parte temporis, priùs & posterius extitisset? Et idem argumentum formari potest circa rei defitionem, quæ tota simul ex parte sua est in tempore, quod immediatè sequitur instans, in quo res permanentis dicitur desisse.

ducantur, possunt tamen incipere & finire in tempore.

Declaro rem exemplo: Ponamus globum perfectè sphericum in perfectè plano; dicunt omnes, quòd tangent se in indivisibili (si dentur) id est, punctum globi, punctum plani. Trahatur ergo globus ab oriente in occidentem sine saltu & sine motu circulari, punctum globi indivisibile in se tanget necessariò immediatè partem illam lineæ, quæ punctum plani sequitur, in quo globus quiescebat (non enim puncta sequuntur se immediatè, ut est communis opinio) quæ utique divisibilis est; & ita indivisibile correspondebit divisibili immediatè & proximè: si autem hoc fieri potest per motum seu tractionem globi, haud video, cur non etiam per primam globi in plano positionem. *Sphæra* (inquit Scot. 2. *Scot.* dist. 2. q. 9. n. 36.) *super planam mota, describit in plano lineam; & tamen non tangit nisi in puncto: ergo illud punctum pertransit totam lineam; & tamen non propter hoc tota linea illa, quæ sic pertransitur à puncto, componitur ex punctis.*

Declaratur exemplo.

Sic ergo dicimus nos, rem permanentem indivisibiliter, & secundum se totam, ac simul (ut sic dicam) ex parte sua correspondere posse immediatè temporis in se divisibili; adedque divisibiliter ex parte temporis; & sic res permanens incipiet ac desinet aliquo modo successivè, non ex parte sua, quasi una pars priùs, altera posterius; sed ex parte temporis extrinseci habentis partes priùs & posterius, cui immediatè ac indivisibiliter res illa permanens ex parte sua correspondet.

Notandum secundò, talem esse motum seu actionem, qualis est ejus terminus; v. g. talis est motus, qualis est terminus.

154.  
Talis est motus, qualis est terminus.

quia ubi, quod sol acquirat ab oriente in occidentem, non potest partes suas habere simul existentes; ipse etiam motus diurnus eodem modo est successivus: quia verò species visibiles habent totum suum esse simul, earum productio non est etiam successiva. Denique quia calor ab igne productus non accipit omnes suas partes intensivas simul ob resistantiam subjecti, aut lumen ob impuritatem medij; simul tamen esse possunt, & tandem sunt; hujusmodi qualitates (& consequenter earum productio) non sunt propriae & intrinsecè entia successiva, cum successio importet negationem simultaneae existentiae partium; sed solum extrinsecè, quia scilicet diversae partes harum qualitatum correspondent diversis partibus temporis, quae successivae sunt & simul esse nequeunt. Hujusmodi ergo qualitates etiam secundum singulas suas partes reverà & intrinsecè sunt entia permanentia; & tamen constat, quòd aliqua earum producantur in tempore, quandoquidem producantur actione continuà, & non interruptà.

Idem omninò dicendum videtur de anima rationali, quae licet omnino indivisibilis sit, adeòque non possit produci successivè ratione partium; possunt tamen centum v.g. animae produci successivè, si videlicet continuò producantur; cur enim Deus debeat interrumpere actionem productivam secundae animae, cum manu teneat conservationem primae, quae tamen profus est ejusdem rationis? Quidni idem potiori ratione dici queat de gratia sanctificante? quippe constat gradibus intensivis, quemadmodum calor & aliae qualitates materiales. Sicut ergo pars caloris producitur in tempore; sic quoque pars gratiae produci possit, & de facto produceretur, si Deo ita placuisset Sacramenta instituire. Cur ergo non possit tota in tempore causari, cum omnes gradus ejusdem rationis sint?

His praenotatis, melius & verius dicitur, gratiam conferri per Sacramenta aliquando in tempore, aliquando in instanti. Ratio patet ex dictis: quia tunc causatur gratia, cum Sacramentum est perfectum & completum; atqui verisimile est subinde in tempore, subinde in instanti intrinsecè & essentialiter completi Sacramentum; ergo &c. Minor probatur: quia ultimus sonus, v.g. quo posito Sacramentum censetur esse completum, item contactus seu praesentia localis aquae ad corpus, v.g. quae sufficit ut corpus dicatur lavari, ex se sunt entia permanentia, adeoque & in tempore & in instanti sibi intrinsecò incipere possunt, & verisimiliter

nunc hoc; nunc illo modo incipiunt, cum sequantur motum localem, qui secundum aliquid sui est in instanti, secundum aliquid in tempore; quando autem illud aliquid sufficit ut Sacramentum sit perfectum, hoc ipso producitur gratia, ut dictum est.

Confirmatur ex Sacramento Eucharistiae, cujus usus aliquamdiu permanet, & tamen probabile est non solum eo tempore, quo species sacramentales trajiciuntur per cephagum; sed etiam toto tempore, quo permanent incorruptae in stomacho, successivè gratiam conferre vel augere, si dispositio lumentis augeatur, ut suo loco videbimus.

Objicitur primò: Tempus, quod immediate est post instans, est omninò indeterminatum; atqui implicat effectum determinatum, qualis est gratia, produci in tempore indeterminato; alioquin posset Deus producere certum hominem in anno incerto, ita ut nullus certus posset assignari, in quo esset productus.

Respondeo distinguendo majorem: negando quidem, si per indeterminatum intelligas indefinabile; clarum siquidem est, quòd designari ac demonstrari possit, utpote alteri simili parti temporis aequalis concedendo autem, si per indeterminatum concipias impraecisum ac incommensuratum; nam tempus illud non potest ita praecise designari, ut ei secundum se totum adaequatè commensuretur prima productio gratiae, sed inadaequatè solum, ratione minoris ac minoris partis in infinitum divisibilis, cum quaelibet pars temporis sit continua, adeòque divisibilis in infinitum: idque omnes dicere debent de conservatione gratiae, quae respondet parti temporis. Porro hoc sensu posse effectum certum ac determinatum correspondere tempori indeterminato, ostendimus exemplo globi perfectè rotundi tangentis planum per aliquod sui indivisibile, planum (inquam) immediate in parte divisibili, seu in linea, quae, utpote continua, non tangitur secundum se totam, sed secundum partem ulterius divisibilem in infinitum.

Objicitur secundò: Contritus in instanti justificatur; ergo similiter qui suscipit Sacramentum: enim verò solus Deus est causa physica potens & inimpedibilis, adeoque non est ratio producendi gratiam tardè ac successivè. Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est: quia contritio ordinariè elicitur & perficitur in instanti, quandoquidem nec habeat impedimentum in sui productione, nec ordinariè alligata sit enti per se vel per accidens successivo, & quemad-

156.  
Obiectio  
prima.

157.  
Obiectio  
secunda.

155.  
Verius dicitur gratiam conferri per Sacramenta aliquando in tempore, aliquando in instanti.

quemadmodum gratia Sacramentalis.

158.  
Objectio  
tertia.

Objicitur tertio: Eodem modo produ-  
citur gratia in Sacramento, sicut caufatur  
corpus Christi sub speciebus; sed illud, ut-  
pote substantia, in instanti producit; ergo  
&c. Respondeo ex dictis, substantiam & in  
tempore & in instanti sibi intrinseco inci-  
pere posse, adeoque etiam corpus Christi in  
Eucharistia verisimiliter utroque modo poni;  
sequitur namque ejus positio pronuntia-  
tionem formæ seu sonum, qui licet non pro-  
ducatur per motum localem linguæ ac den-  
tium (hic enim motus est tenuissima quæ-  
dam entitas præcisè & adæquatè terminata  
ad ubi) eum tamen prærequirit & sequitur.

159.  
Proponitur  
sententia  
Lugonis.

Hæc pauca ex multis, quæ videri pos-  
sunt apud Scriptores tum antiquos, tum no-  
vos. Solùm subijcio sententiam Em. Lugo-  
nis, quæ ex parte convenit cum nostra jam  
explicata. Ego (inquit) disp. 4. sect. 6. n. 123.  
consequenter ad illam sententiam philoso-  
phicam de compositione continui potius  
dicerem gratiam conferri, non quidem in in-  
stanti ultimo terminativo intrinseco vel ex-  
trinseco Sacramenti, nec in tempore inde-  
terminato ante ultimum instans; sed tem-  
pore aliquo determinato post aliquod in-  
stans continuativum. Nam quando incipit  
proferri ultima syllaba, potest quidem pro-  
ferri ita leviter, ut non sufficiat illa prola-  
tio, nisi extendatur & fiat major; quare ve-  
niri potest ad aliquod instans, post quod si  
rursus extendatur & protrahatur prolatio,  
sufficit ad debitam prolationem, quæcum-  
que & quantulacumque sit illa extensio:  
hæc autem extensio fieri debet in tempore  
immediato post illud instans, quia tunc in-  
cipit Sacramentum esse perfectum & vali-  
dum: incipit autem gratia per ultimum  
non esse, quia in illo instanti præcedenti ve-  
rum esse dicere: nunc ultimò gratia non est,  
immediatè post hoc erit. Ita ille.

160.  
Probatio  
secundæ  
partis con-  
clusionis.

Venio ad secundam partem conclusionis,  
quam hæud difficile est probare, etiam ab  
experientia quotidiana; quoties enim sus-  
cipimus Sacramenta Eucharistiæ & Pœni-  
tentiæ, & tamen minimè sentimus auxilia  
gratiæ actualia? Et quæ alia ratio, nisi quòd  
istà auxilia non dentur statim completo Sa-  
cramento, sed cum occasio exigit, vel dis-  
positi sumus, v.g. dum instat professio fidei  
coram Tyranno, cum onera matrimonij su-  
stinenda sunt, vel quis vacuus distractionibus  
aptus est percipiendæ dulcedinis spiritualis?

Ratio dis-  
paritatis in-  
ter gratiam  
habitualem  
& actualem.

Porro ratio disparitatis inter gratiam ha-  
bitualem & actualem est, quòd cum illa sit  
quid permanens, & habitus qui infundun-  
tur simul consistere possint, non est cur dif-  
ferantur, quando subjectum est dispositum

& indigens: auxilia verò actualia, cum  
non sint quid unum, & nonnumquam den-  
tur ad diversos effectus, qui quandoque si-  
mul exerceri non possunt, ac in præsentia  
sæpè non sit indigentia, commodius juxta  
subjecti necessitatè diversis temporibus con-  
ceduntur: sic tamen, ut statim accipiat jus  
ad illa; & hoc fit ex vi ipsius institutionis,  
quæ facta est modo accommodato ipsi effectui.

Tertiam partem conclusionis, sive restri-  
ctionem secundæ, indicat S. Cyprianus (vel  
quicumque est auctor) Ser. de Ablutione  
pedum, ibi: *Deus reversis dat, ut iterum pos-  
sint eis Sacramenta prodesse, quorum si penitenti-  
a non subesset, nullo modo deinceps experiri  
possent effectum.* Et ratio est: quia gratiæ præ-  
venientes non sunt effectus Sacramenti nisi  
secundarius, ratione scilicet gratiæ sanctifi-  
cantis, tanquam radicis cuiusdam, aliquo  
modo eas exigentis: Sacramenta quippe di-  
versa ad diversos fines sunt instituta, ad quos  
necessaria est gratia sanctificans; quia tamen  
sola non sufficit, adduntur ei auxilia gratiæ.  
Quidni igitur vel gratiâ habituali non col-  
latâ, vel postmodum amisâ, ipsa quoque de-  
ficiant; quæ eâ mediante conceduntur?

Atque hic videtur esse communis sensus  
fidelium, qui existimant Sacramenta cum  
obice suscepta v.g. Eucharistiam, nullum  
jus expeditum ad specialia auxilia conferre,  
juxta id, quod cantat Ecclesia de hoc Sa-  
cramento: *Mors est malis, vita bonus.* Ergo  
non adfert tunc jus ad auxilia uberiora; alio-  
quin aliquam afferret sanitatem; illa enim  
sunt auxilia gratiæ sanatis; & per consequens  
per multas communioniones in peccato habe-  
ret homo plurima auxilia ad resurgendum,  
& non peccandum; cujus oppositum omnes  
credunt. Ita Lugo de Sacramentis disp. 4.  
sect. 3. n. 29. Equidem sufficeret ad veri-  
tatem tantus Ecclesiastici, quòd accipiens  
Sacramentum in malo statu, peccaret novo  
peccato mortali.

Addit Card. Hoc etiam sonant verba illa  
formæ sacramentalis in Diaconatu: *Accipe  
Spiritus Sanctum ad robur, ad resistendum dia-  
bolo & tentationibus eius;* ubi auxilia ad resi-  
stendum diabolo non promittuntur, nisi  
per adventum Spiritus Sancti, qui non ad-  
venit, nisi per infusionem gratiæ habitualis.  
Ex quo patet, quantâ sollicitudine debeamus  
conservare gratiam habitualement in Sa-  
cramento acceptam, ne destituamur actua-  
libus in tempore opportuno: quamvis enim  
quandoque concedantur etiam ijs, qui gra-  
tiâ exciderunt, rariùs tamen & incertius,  
utpote ex pura Dei misericordia, non ex  
Sacramenti vi & opere operato.

Nolo tamen hinc inferas: ergo peccator  
sub

161.  
Tertia pars  
Conclusio-  
nis indica-  
tur à Cy-  
priano,

Probatio.

162.

Non sequitur peccatorem sub gravi obligatione situm teneri ad poenitentiam

sub gravi obligatione absque mora tenetur poenitere, ne forte tempore opportuno careat illis auxilijs; satis siquidem est, quod non ponat obicem principali effectui, quando Sacramentum suscipit. Ostendo in eo, qui suscepit Eucharistiam, & illa adhuc existente in stomacho peccavit mortaliter; nullus enim docet, eum de novo peccare mortaliter, si mox non resipiscat, quamvis probabiliter impediatur ulteriorem effectum, immo tamen certo impediatur.

163. Oppositum Conclusionis à quibusdam censetur probabile.

At nunquid doctrina nostra certa? non desunt qui oppositum censent probabile, eod quod gratia praevenientes nullam habeant cum sanctificante naturalem connexionem, & aliunde saepe contingat, constitutum extra gratiam indigere huiusmodi auxilijs non minus, immo saepe magis, quam constitutum in gratia; v.g. ut compati servet fidem &c. sicut (inquit quidam Auctor) in simili dictum est de caractere.

Non rectè hic fit argumentum à simili de caractere.

Simile profecto nimium claudicans: etenim character est quaedam dispositio ad gratiam habitualement consequens immediate substantiam Sacramenti, ita quod quisquis valide suscipit Sacramentum, suscipiat indubie characterem, ut ut peccet in ipsa susceptione. Innoc. III. cap. Maiores de Baptismo; ibi: Sicut & is, qui fide ad Baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum.

Innoc. III.

Adde, non obstante inaequalitate gratiae habitualis, omnes characteres eiusdem spe-

ciei probabiliter esse aequalis perfectionis seu intensioris; nusquam enim docent Concilia, characterem imprimi secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem, quemadmodum id definit Trident. de gratia sanctificante sess. 6. cap. 7. dicens: *Demum unica formalis causa ( justificationis impij) est iustitia Dei, non quae ipso iustus est, sed quae nos iustos facit, quae videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae: & non modo reputamur, sed verè iusti naminamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram; quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem.*

Trident.

Quin etiam nulla prorsus dispositio praerequitur in anima ad impressionem characteris; semper tamen aliqua in homine adulto ad infusionem primae gratiae iustificantis, eodem Concilio eadem sess. cap. 5. declarante ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, quae nullis eorum existentibus meritis, vocatur; ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae liberè assentiendo & cooperando, disponantur.

idem.

De hac dispositione, ne contingat quempiam ipsius defectu privari fructu gratiae, opera pretium duxi particularem instituisse Sectionem. Sit itaque

SECTIO QUINTA.

De Dispositione requisita ad gratiam Sacramentorum.

1. Dispositio alia habitualis, alia actualis.

**D**ispositio est duplex, una habitualis, altera actualis: ista potissimum consistit in habitibus supernaturalibus Fidei, Spei & Charitatis; haec verò in ipsis actibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis & Poenitentiae, quos enumerans Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia praeveniente, & adiuti gratia adjuvante, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divina iustitia timore, quo utiliter concitantur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in-*

Trident.

spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illum, tamquam omnium iustitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem; hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoate novam vitam & servare divina mandata.

Porro si problema hoc excutiendum proponitur, quanam istarum dispositionum sit perfectior? Citra probationem omnium oculis liquidissime patet, actus caeteris paribus in ratione dispositionis praestare habitibus; hi quippe non disponunt, nisi vel improprie, quatenus per eos homo redditur dignior (ut ita dicam) receptione gratiae, quam alius, qui ipsi caret: vel remotè solù, quatenus inclinatur ad actus, qui sunt proxima & immediata, adde,

2. Actus in ratione dispositionis praestant habitibus.